

MYTILENE
Agger
Thebe
Adramyttium
Antandrus
Cilla
Adramyttenus sinus
Coryphantis
Heraclea
Attea
MYTILENE
Canae
Pitane
Caicus Fl.
Elaea
Arginusae I.
Cane prom.
Elaiticus sinus
4° L. v. Par.

Ann. 1828.

LESBIACORUM

LIBER

COMPOSUIT

SEVERUS LUCIANUS PLEHN

PHIL. DR. AA. LL. MAG.

ACCESSIT TABULA GEOGRAPHICA AERI INCISA, QUAE LESBI INSULAE EXHIBET FIGURAM.

BEROLINI,

IN COMMISSIS HABET LIBRARIA FRIDERICI NICOLAI

MDCCCXXVI.

VIRO CELEBERRIMO

AUGUSTO BOECKHIO

PRAECEPTORI SUO PIE COLENDO

LIBELLUM HUNCCE

SUMMAE VENERATIONIS GRATISSIMIQUE

ANIMI TESSERAM

CONSECRAVIT

S. L. PLEHN.

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

CAPUT PRIMUM.

Insulae descriptio.

E regione Canes promontorii Mysiae, meridiem versus in mare Aegaeum porrecti, infimus finis situs est Lesbi, quae iuxta oram Mysiam decurrens ultra Lectum promontorium extenditur. Contra Argennum promontorium, magis quam ceterae insulae partes in septentrionem vergens, iacebat Assus sexaginta stadiorum spatio a Lesbo remota; orientali insulae litori oppositae erant Adramyttium, Atarneus, Pitane aliaeque urbes.[1]) Hic insulae situs est proximae continentis respectu. Si mare vicinum consideres, Lesbus a meridie et ab occidente nec non partim a septentrione mari pulsatur Aegaeo. Orientale et partim septentrionale insulae litus illa maris Aegaei pars alluit, cui alii Adramytteni, alii Idaei sinus nomen imposuerunt. Proprie enim ille tantum sinus, qui promontorio Gargaris et promontorio Pyrrha includitur, Adramytteni titulum gerebat, posthac vero tota maris Aegaei pars inde a promontorio Cane usque ad Lectum eo nomine appellata est.[2])

---

[1]) Ita Strabo XIII, p. 251 sq. Tzsch. cuius verba haec sunt: *ἀπὸ Λεκτοῦ δὲ μέχρι Καΐκου ποταμοῦ καὶ τῶν Κανῶν τῶν λεγομένων ἐστὶ τὰ περὶ Ἄσσον καὶ Ἀδραμύττιον καὶ Ἀταρνέα καὶ Πιτάνην καὶ τὸν Ἐλαϊτικὸν κόλπον, οἷς πᾶσιν ἀντιπαρήκει ἡ τῶν Λεσβίων νῆσος κ. τ. λ.* Illa tamen: *καὶ τὸν Ἐλαϊτικὸν κόλπον* Strabo non recte scripsit. Cf. quae in proxima nota dicentur.

[2]) Strabo XIII. p. 374. Tzsch. *κεῖται δὲ τὰ Γάργαρα ἐν ἄκρας ποιούσης τὸν ἰδίως Ἀδραμυττηνὸν καλούμενον κόλπον.*

Ponit Lesbum Scylax in maximis insulis septimo loco. [3]). Agathemerus tribus insularum omnium ordinibus constitutis Lesbum secundo loco inter tertii ordinis insulas collocat, [4]) Idem illius ambitum in stadia MC cum Strabone definit. [5]) Eustathius, qui in huiusmodi rebus vestigia Strabonis accurate premere solet, hic ab illo recedens M tantum stadiorum ambitum Lesbo tribuit. [6]) Isidorus narrante Plinio circulum quo insula ambitur in CLXVIII mill. passuum, veteres in CXCV mill. definiverunt. [7]) Nos tabula geographica viri docti Choiseulii Gouffieri, ubi insulam exacte de-

---

γεται γὰρ καὶ πᾶσα ἡ ἀπὸ Λεκτοῦ μέχρι Κανῶν παραλία τῷ αὐτῷ τούτῳ ὀνόματι, ἐν ᾧ καὶ ὁ Ἐλαΐτικὸς περιλαμβάνεται· ἰδίως μέντοι φασὶ τοῦτον Ἀδραμυττηνὸν τὸν κλειόμενον ὑπὸ ταύτης τε τῆς ἄκρας, ἐφ᾽ ᾗ τὰ Γάργαρα, καὶ τῆς Πύῤῥας ἄκρας προσαγορευομένης. Dicendum mihi nunc de Strabonis errore, cuius antea mentionem feci. Pertinet ille ad Elaiticum sinum, de quo non recte sensisse geographum in aperto est. Ab altera nempe huius sinus parte situm erat Cane promontorium, si Strabonem audias, a meridionali. Ita eum statuisse cum ex aliis, tum vel maxime ex eo patet, quod Elaiticum sinum partem Adramytteni fuisse dicit, hunc vero promontoriis Lecto et Cane effici perhibet. Cum loco Strabonis quem modo attuli alius p. 416. conferendus, ubi haec leguntur: Εἶτ᾽ ἐν ἑκατὸν σταδίοις ἡ Κάνη, τὸ ἀνταῖρον ἀκρωτήριον τῷ Λεκτῷ, καὶ ποιοῦν τὸν Ἀδραμυττηνὸν κόλπον, οὗ μέρος καὶ ὁ Ἐλαΐτικός ἐστι.. Sed universa haec Strabonis sententia falsissima est. Neque Elaiticus sinus pars Adramytteni fuit, neque Cane promontorium a meridionali, sed a septentrionali sinus Elaitici parte situm erat. Strabonem optime, ut mihi quidem videtur, aliorum scriptorum testimoniis adhibitis, refutavit Mannert. Geogr. Antiq. Tom. VI. P. III. p. 399 sq. cf. p. 442.

3) P. 56. Hudson. p. 131. Gronov. Cf. Alex. comic. apud Const. Porphyr. themat. II, 10. Aristot. de mundo III, 5.

4) II, p. 17. Huds. p. 195. Gron. Cf. Timaeum apud Strab. XIV, p. 654. D. Cas. p. 606. Tzsch.

5) II, 8. p. 46. Huds. p. 232. Gron. Strab. XIII, p. 616. D. Cas. p. 424. Tzsch.

6) In D. P. 536.

7) Plin. H. N. V, 31.

lineatam reperies, in illius ambitu spatioque definiendis egregie adiuvat. Secundum descriptionem illam Lesbi ambitus χωρὶς τοῦ κατακολπίσαι est stadiorum CMLX et spatium quod complectitur insula milliariorum quadratorum XXVI.

Lesbum pariter atque Chium, Samum aliasque insulas et urbes non uno tantum nuncupatam esse nomine, permulti veterum scriptorum asserunt. Plurima eorum nominum afferuntur a Plinio (H. N. V, 31.) *Himerte et Lasia, Pelasgia, Aegira, Aethiope, Macaria appellata fuit*, et ab Eustathio (ad Hom. Il. p. 741.) Ἔτι ἰστέον ὅτι Ἱμερτὴ καὶ Πελασγία ἡ αὐτὴ Λέσβος ἐκλήθη ποτέ· καὶ ὅτι ὥςπερ Λέσβος, οὕτω καὶ Ἴσσα ἡ αὐτὴ νῆσος ἐκ μιᾶς τῶν περὶ αὐτὴν πόλεων. Antiquissimum Lesbi nomen fuisse dicitur *Issa*. Diodorus V, 81. Ξάνθος (qui primos colonos in insulam duxisse narratur) — — — τὴν νῆσον ἀπὸ τῶν κατοικούντων αὐτὴν Πελασγίαν ὠνόμασε, τὸ προτοῦ καλουμένην Ἴσσαν. Sic eam appellat Lycophron Cass. 219.

Ὡς μή σε Κάδμος ὤφελ' ἐν περιῤῥύτῳ
Ἴσσῃ φυτεῦσαι.

Hisce scriptoribus adiungendus est Strabo I. p. 160. Ἡ δὲ Ἄντισσα νῆσος ἦν πρότερον, ὡς Μύρσιλός φησι. τῆς γὰρ [8]) Λέσβου καλουμένης πρότερον Ἴσσης καὶ τὴν νῆσον Ἄντισσαν καλεῖσθαι συνέβη, et Hesychius T. II. p. 76. Ἴσσα, ἡ Λέσβος τὸ πρότερον.[9]) Ex quanam re nomen ductum sit, equidem non dixerim. Neque Eustathii explicatio,[10]) neque ea quam Tzetzes ad Lycophronis

---

[8]) Γάρ vulgo omissum addidi ex Casauboni coniectura.

[9]) Stephanus Byzantius Ἴσσα, ait, πόλις ἐν Λέσβῳ κληθεῖσα Ἱμέρα, εἶτα Πελασγία καὶ Ἴσσα, nomina, quae totius fuerunt insulae, uni urbi male imponens eamque ob caussam merito notatus a Wesselingio ad Diodor. V, 81. qui tamen coniecturam proponit hancce: κληθεῖση Ἱμερτῇ, εἶτα Πελασγίᾳ καὶ Ἴσσῃ.

[10]) Repetit eam in commentario ad D. P. v. 536.

l. l. protulit magni est pretii. *Pelasgiam* Lesbum ob Pelasgos qui eam incoluerint appellatam esse, praeter Diodorum, Eustathium et Plinium refert Strabo lib. V, p. 128. καὶ τὴν Λέσβον Πελασγίαν εἰρήκασι. Unde nomen *Himerte* originem traxerit satis superque apparet.[11]) In *Lasiae* nomine explicando Harduini sequimur sententiam, qui a silvis agrestibus, quibus vestita fuit insula, illud repetendum esse existimat. Eodem nomine Andrum aliamque insulam haud procul ab Aegina in Troezenem versus sitam appellatas esse, ex Plinio compertum habemus.[12]) *Aethiope* nuncupata est Lesbus propter Myrinam Amazonum reginam, quae illam cum aliis insulis in potestatem suam redegisse traditur.[13]) Amazones enim Zenothemide auctore in Aethiopia habitarunt.[14]) Rationem nominis *Macariae*, quod eamdem ob caussam Lesbo inditum esse arbitramur, propter quam Μακάρων νῆσος appellata fuit insula, alio loco explicabimus. De origine nominis *Aegirae* mihi non liquet. Certum tamen est, nigram populum, quae Harduino in mentem venit, huc nihil pertinere, sed referendum esse nomen illud ad voces Αἴγινα, Αἴγιον, Αἰγίλιψ aliasque huius generis, quarum meminit Müllerus in Aegineticorum libro p. 11.

Nomina haec ad unum omnia pro fabulosis habenda nullumque eorum unquam in communi usu fuisse, vix opus ut moneamus. Ad nomen *Lesbi* quod atti-

[11]) Apud Plinium Hist. Nat. V. 31. ante Harduinum, qui recte *Himerte* scripsit, legebatur *Hemerte*. Ἱμερτὴ in Stephani quoque loco, quem attuli, reponendum esse non dubito. Vulgata lectio Ἱμέρα Berkelium, ut apud Plinium l. l. *Hiera* in *Himera* mutandum censeret, adduxit.

[12]) Plin. H. N. XII, 21. Müller. Aegin. p. 4.

[13]) Diodor. III. 55.

[14]) Schol. ad Apollon. Rhod. II, 965. Ζηνόθεμις αὐτὰς φησὶν ᾠκηκέναι ἐν Αἰθιοπίᾳ. Eamdem ab caussam Samothrace insula Αἰθιοπίας nomen accepisse putanda est. Vide Hesych. s. v. Αἰθιοπία. Cf. Müller. Orchom. p. 119.

net, haud nostrum est, eruere illius originem. Quae Bochartus in Chanaan I, 9. protulit nemini probatum iri persuasissimum habemus.

Terrae benignitate aërisque salubri temperie gaudebant Lesbii. Diodorus lib. V. c. 82. *Αἱ δὲ νῆσοι* (Lesbus, Chius, Samus, Cos, Rhodus) *διαπνεόμεναι, καὶ τὸν ἀέρα παρεχόμεναι τοῖς ἐνοικοῦσιν ὑγιεινόν, ἔτι δὲ τοῖς καρποῖς ἐπιτυγχάνουσαι, μᾶλλον εὐπορίας ἔγεμον, καὶ ταχὺ τοὺς κατοικοῦντας αὐτὰς μακαρίους ἐποίησαν. — — Καθόλου δὲ αἱ προειρημέναι νῆσοι διήνεγκαν εὐδαιμονίᾳ μάλιστα τῶν σύνεγγυς κειμένων, οὐ μόνον κατὰ τοὺς ἀρχαίους χρόνους, ἀλλὰ καὶ κατὰ τὴν ἡμετέραν ἡλικίαν. Ἀρετῇ γὰρ χώρας καὶ τόπων εὐκαιρίᾳ, ἔτι δ' ἀέρων κράσει καλλιστεύουσαι, κατὰ λόγον καλοῦνται καὶ πρὸς ἀλήθειαν εἰσὶν εὐδαίμονες.* [15])

In montibus Lesbi exstabat marmor diversi coloris maculas habens, sed nihilo minus pariter atque Thasium, quo paullo fuit lividius, a statuariis adhibitum. Ita Plinius. [16]) De alio genere loqui videtur Philostratus, cui lapis Lesbius *κατηφὴς καὶ μέλας* dicitur. [17]) Ex Plinio cognoscimus Lesbum etiam achatas protulisse, qui in Thracia quoque et circa Oetam et in Parnasso et aliis locis reperiebantur limitumque floribus scriptore illo teste fuerunt similes. [18]) Mentio mihi facienda et glebarum, quae ex oculis laborantibus prodesse et in aquam coniectae neque dissolvi nec subsidere dicebantur. [19]) Ad plantas quod attinet, primo loco memorare placet hordeum Lesbium, cuius laudes hisce Archestrati versibus ab Athenaeo [20]) servatis praedicantur:

---

[15]) Tacitus (Annal. VI, 3.) Lesbum *insulam nobilem et amoenam* dicit.

[16]) Hist. Nat. XXXVI, 6. Cf. Isidor. Origin. XXVI, 5.

[17]) Philostr. vit. Soph. II. p. 556. edit. Olear.

[18]) Plin. H. N. XXXVII, c. 10.

[19]) Phanias Eresius apud Antigonum Carystium p. 227. edit. Beckmann.

[20]) Lib. III, p. 111. F.

Πρῶτα μὲν οὖν δώρων μεμνήσομαι ἠϋκόμοιο
Δήμητρος, φίλε Μόσχε· σὺ δ' ἐν φρεσὶ βάλλεο σῇσιν.
Ἔστι γὰρ οὖν τὰ κράτιστα λαβεῖν βέλτιστά τε πάντων
εὐκάρπου κριθῆς καθαρῶς ἠσκημένα πάντα
ἐν Λέσβῳ, κλεινῆς Ἐρέσου [21]) περικύμονι μαστῷ,
λευκότερ' αἰθερίας χιόνος· θεοὶ εἴπερ ἔδουσιν
ἄλφιτ', ἐκεῖθεν ἰὼν Ἑρμῆς αὐτοῖς ἀγοράζει.

Affero praeterea pinus, quae in monte Pyrrhaeorum urbem crescebant,[22]) nec non peculiaris generis arborem, euonymi nomine appellatam, cuius naturam accurate describit Theophrastus.[23]) Nata est illa praesertim in Ordyno monte. Neque tubera silentio mihi praetereunda, quae interdum in Mytilenaeorum litore nascebantur, semine diluviis illuc delato.[24])

Iam ad vinum Lesbium pervenimus maximis cum poetarum tum aliorum scriptorum laudibus celebratum. Provoco ad Archestratum, gravissimum in huiusmodi rebus testem, qui vinum Lesbium reliquis Graecorum vinis anteponere non dubitat. Sic enim ille,[25])

Εἶθ' ὁπόταν πλήρωμα Διὸς Σωτῆρος ἕλησθε,
ἤδη χρὴ γεραὸν, πολιὸν σφόδρα κρᾶτα φοροῦντα
οἶνον, ὑγρὰν χαίταν λευκῷ πεπυκασμένον ἄνθει,
πίνειν, ἐκ Λέσβου περικύμονος ἐκγεγαῶτα,
Τὸν δ' ἀπὸ Φοινίκης ἱερᾶς, τὸν Βύβλινον, αἰνῶ·
οὐ μέν τοι κείνῳ γε παρεξισῶ αὐτόν. ἐὰν γὰρ
ἐξαίφνης αὐτοῦ γεύσῃ, μὴ πρόσθεν ἐθισθεὶς,
εὐώδης μέν σοι δόξει τοῦ Λεσβίου εἶναι

---

21) Hinc spica in Eresiorum nummis.

22) Theophrast. Hist. Plant. III, 9. edit. Schneid. Cf. Plin. H. N. XVI, 10, 19.

23) Hist. Plant. III, 18. edit. Sch. Plin. H. N. XIII, 22, 38.

24) Theophr. Hist. Plant, I, 6. Plin. Hist. Nat. XIX, 3, 13.

25) Athen. I. p. 29. B. Cf. Athen. I. p. 28. F. p. 31. A. Matron apud Athen. IV. p. 137. Plin. H. N. XIV, 14. Aul. Gell. Noct. Att. XIII, 5. Strab. lib. XIV, p. 637. 657. Horat. Epod. IX, 34. Diodor. Sicul. T. II, p. 552. Wesseling.

*μᾶλλον. ἔχει γὰρ τοῦτο χρόνου διὰ μῆκος ἄπλατον·
πεινόμενος δ' ἥσσων πολλῷ. κεῖνος δὲ δοκήσει
οὐκ οἴνῳ σοι ἔχειν ὅμοιον γέρας, ἀμβροσίᾳ δέ.
Εἰ δέ τινες σκωπτουσιν ἀλαζονοχαυνοφλύαροι
ὡς ἄδιστος ἔφυ πάντων Φοινίκιος οἶνος,
οὐ προςέχω τὸν νοῦν αὐτοῖς.
Ἔστι δὲ καὶ Θάσιος πίνειν γενναῖος, ἐάν γ' ᾖ
πολλαῖς πρεσβεύων ἑτέρου περικαλλέσιν ὥραις.
Οἶδα δὲ κἀξ ἄλλων πόλεων βοτρυοσταγῆ ἔρνη
εἰπεῖν, αἰνῆσαί τε, καὶ οὔ με λέληθ' ὀνομῆναι·
ἀλλ' οὐθὲν τἄλλ' ἐστὶν ἁπλῶς πρὸς Λέσβιον οἶνον.*

Praestantissimum illud vinum circa Methymnam maxime natum esse, ex Ovidio colligas[26]) Methymnaeum vinum et Eresium dulcissima maximeque odorata perhibet Galenus.[27]) Minus his virtutibus insigne fuisse dicit illud, quod circa Mytilenen natum sit. Vites autem Lesbiae neque ulmis neque aliis arboribus fultae crescebant, sed sudibus humilibus applicatae vel in terra prorepentes. *Πᾶσα κατὰ τὴν Λέσβον*, ait Longus,[28]) *ἦν ἄμπελος ταπεινή, οὐ μετέωρος, οὐδὲ ἀναδενδράς, ἀλλὰ κάτω τὰ κλήματα ἀποτείνουσα καὶ ὥςπερ κιττὸς νεμομένη· καὶ παῖς ἂν ἐφίκοιτο βότρυος, ἄρτι τὰς χεῖρας ἐκ σπαργάνων λελυμένος.* Hinc Virgilius:

*Non eadem arboribus pendet vindemia nostris
Quam Methymnaeo carpit de palmite Lesbos,*

quo in loco vites Lesbias humi hederae instar crescentes ab Italicis, quae ex altis pendebant arboribus, secernit poeta.[29])

Vinum illud corpori esse saluberrimum affirmabat

---

[26]) Ovid. Ars amat. I, 57. Virgil. Georg. II, 90.

[27]) De curandi ratione Tom. IV. p. 166. edit Basil.

[28]) Pastoral. II, 1.

[29]) Vide Virgil. Georg. II, 89. et quae ibi adnotavit Iohannes Henricus Vossius.

Erasistratus medicus clarissimus.[30]) Adsentit ei Athenaeus,[31]) qui ubi de aqua ante coenam bibenda loquitur haec habet: *ἐὰν δέ τις ἡμῶν τοῦτο δυςκόλως ποιῇ, γλυκὺν ὑδαρῆ θερμὸν*[32]) *προλαμβανέτω, μάλιστα δὲ τὸν καλούμενον πρότροπον,*[33]) *τὸν γλυκὺν Λέσβιον, ὄντα εὐστόμαχον.*[34]) Lenioris naturae fuisse vinum Lesbium ex Horatio quoque efficias, qui id in carmine *innocens* nuncupat et amicam ut ad se veniens illud secum bibat cohortatur.[35]) Plinius praeterea ideo illud laudat, quod sponte naturae suae mare sapiverit; cetera enim vina ut hoc efficeretur maris aqua condienda erant.[36]) Tantis virtutibus cum excelleret vinum Lesbium, magni aestimabatur pretii eamque ob caussam in alias terras saepius translatum est, exempli gratia in Aegyptum.[37])

Magnis fluviis caret Lesbus, montibus abundat, quorum memoratu dignissimi sunt Lepetymnus, Or-

---

30) Plin. H. N. XIV, 7.

31) Libr. II, p. 45. E.

32) Sic Schweighaeuserus in commentario ad h. l. Vulgo: *γλυκὺ ὕδωρ ἢ θερμόν.* Quod coniecit Vir Cl. significat: *vinum dulce calida aqua probe dilutum.*

33) Athen. I. p. 30. B. *Μιτυληναῖοι τὸν παρ' αὐτοῖς γλυκὺν οἶνον πρόδρομον καλοῦσιν· ἄλλοι δὲ πρότροπον.* Ibi ex Plinio (H. N. XXIV, 9, 11.) docent interpretes, *πρότροπον* vel *πρόδρομον οἶνον* proprie appellari *mustum sponte defluentem* ante calcatas uvas, eodemque nomine ficus *praecones* dici. Cf. Athen. III. p. 77. C. et Plin. H. N. XVI, 26, 49. Vitruvius VIII, 3. vinum Lesbium *protyrum* nuncupat.

34) Athen. I., p. 32. E. *ὁ δὲ νησιώτης (οἶνος) εἴς τε τοὺς πότους ἐστὶν εὖ πεφυκὼς καὶ πρὸς τὴν καθημερινὴν χρῆσιν οὐκ ἀνοίκειος* et p. 32. F. *ὁ δὲ Λέσβιος στύψιν μικροτέραν ἔχει καὶ μᾶλλον οὐρεῖται.*

35) Horat. Od. I, 17, 21. Philyllius ap. Athen. I. p. 31. A. — — *Παρέξω Λέσβιον, Χῖον, σαπρὸν Θάσιον, Βύβλινον, Μενδαῖον, ὥςτε κραιπαλᾷν μηδένα.*

36) Plin. H. N. XIV, 7, 5, 9. Cf. Vossium ad Virg. l. l.

37) Strab. XVII. p. 808. C.

dymnus,[38]) Macistus, Creon, Olympus. Lepetymnus (*Λεπέτυμνος*) Lesbi mons altissimus[39]) neque unam ob caussam memorabilis prope Methymnam exsurgit. Reperiebantur in eo, teste Myrsilo Lesbio, fanum Apollinis nec non sacellum Lepetymni herois, ubi semper duos tantum corvos versatos esse dicit scriptor ille, licet haud pauci fuerint in proximis locis.[40]) Exstabat porro in Lepetymno templum Palamedis,[41]) quem ipsum in ea regione sepultum esse ait Lycophron:

— — — — *οὐδὲ ναυφάγοι*
λήξουσι πένθους δυςμενεῖς φρυκτωρίαι,
πτόρθου διαῤῥαισθέντος, ὃν νεοσκαφὲς
κρύψει ποτ᾽ ἐν κλήροισι Μηθύμνης στέγος.[42])

Templum Palamedis ibidem collocat Philostratus, non item eius sepulcrum: Sic enim ille: *ἔθαψαν αὐτὸν Ἀχιλλεύς τε καὶ Αἴας εἰς τὴν ὅμορον τῇ Τροίᾳ τῶν Αἰολέων ἤπειρον· ὑφ᾽ ὧν καὶ ἱερὸν αὐτῷ τι ἐξῳκοδόμητο μάλα ἀρχαῖον καὶ ἄγαλμα Παλαμήδους ἵδρυται, γενναῖόν τε καὶ εὔοπλον καὶ θύουσιν αὐτῷ ξυνιόντες οἱ τὰς ἀκταίας οἰκοῦντες πόλεις. μαστεύειν δὲ χρὴ τὸ ἱερὸν κατὰ Μήθυμνάν τε καὶ Λεπέτυμνον.*[43]) Haud procul a Lepetymno afuisse opinor Lampeti herois sepulcrum a Stephano By-

---

[38]) Theophrast. Hist. Plant. III, 18. Sch. *φύεται μὲν ἄλλοθί τε καὶ τῆς Λέσβου ἐν τῷ ὄρει τῷ Ὀρδύνῳ καλουμένῳ.*

[39]) *Ὄρος τοῦτο ὑψηλὸν*, ait Philostratus Heroic. p. 716. edit. Olear., *ὑπερφαίνεται τῆς Λέσβου.* Apud Plinium H. N. V. 31. nomen montis illius *Lepethymnus* scribitur.

[40]) Antig. Caryst. c. XVII. Idem de Cranone Thessalorum urbe narrant Antig. Caryst. c. XV. Aristot. de mirab. ausc. cap. CXXXVIII. Steph. Byzant. s. v. *Κρανών.* Vide etiam Aelian. hist. animal. VII, 8. qui tamen pro Cranone Coptum nominat.

[41]) Tzetzes ad Lycophr. 384. (Vol. II, p. 571. Müller.) *γέγονε δὲ ὕστερον ἐν Λεπετύμνῳ ὄρει Μηθύμνης ἱερὸν τοῦ ἀνδρος.*

[42]) Cassandr. 1095 sqq. Tzetzes: *ἐν Λεπετύμνῳ ὄρει τῆς Μηθύμνης ὁ Παλαμήδης κεῖται.*

[43]) Philostr. Heroic. p. 716. edit. Olear. Cf. vit. Apollon. Tyan. lib. IV. c. 13. p. 150. et cap. 16. p. 154.

zantio commemoratum.[44]) Denique illo in monte siderum cursus persecutus est Matricetas astronomus, narrante Theophrasto.[45])

Nomina reliquorum montium adscripta sunt in tabula geographica secundum Choiseulii Gouffieri exemplum; utrum prorsus recte, nec ne, haud dixerim. Praeter montes, quos e Plinio commemoravi, montem Pylaeum affert Strabo,[46]) Tantalum Stephanus Byzantius,[47]) τὸ Πυῤῥαίων ὄρος πιτυῶδες Theophrastus.[48])

Iam insulam universam percurrentes de illius urbibus aliisque locis memorabilibus[49]) dicemus, ita quidem, ut a Mytilene exorsi meridiem versus, tum in occidentem progrediamur.

Mytilene, πρώτη Λέσβου,[50]) sita est in insulae latere orientali Aegirum pagum inter et Maleam promontorium, a quo distat septuaginta stadiorum spatio. Nomen urbis ambigue scribitur, littera *Υ* modo in priore modo posteriore loco posita. De hac varietate virorum doctorum plurimi ita statuunt, ut scripturam *Μυτιλήνη* numorum auctoritate confirmatam veriorem putent, neque tamen in omnes veterum scriptorum locos contra fidem codicum inferendam esse censeant.[51]) In plurimis Graecorum scriptorum locis *Μιτυ-*

---

44) Steph. Byzant. *Λαμπέτειον· σῆμα ἐν Λέσβῳ ἀπὸ Λαμπέτου τοῦ Ἴρου.* Hinc Th. Gale in versu poetae ap. Parthen. Erot. c. 24. pro *Λάμπεδον ἥρω* correxit *Λαμπετὸν Ἴρου.*

45) De sign. pluv. et vent. p. 783. edit. Schneid.

46) Lib. XIII, p. 621.

47) S. v. *Τάνταλος.*

48) Hist. Plant. III, 9.

49) Nomina eorum, qui ubi siti fuerint prorsus ad liquidum explorare non potuimus, in tabula nostra geographica uncis inclusa sunt.

50) Eckhel. Doctr. Numm. P. I. Vol. 2. p. 505.

51) Haackius ad Thucydid. III, 18. Poppo Obss. crit. p. 54. De diversa scriptura conferendi sunt: Wesseling. ad Herodot. I, 160. ad Diodor. III. 55. V, 81. ad Hierocl. Synecdem.

λήνη reperitur, passim tamen forma Μυτιλήνη occurrit. Affert eam Stephanus Byzantius, qui Μυτιλήνη, ait, πόλις ἐν Λέσβῳ μεγίστη — — ἀπὸ Μυτιλήνης τῆς Μάκαρος θυγατρὸς, ἢ Πέλοπος· οἱ δὲ, ὅτι Μυτίλης ἦν ὁ οἰκιστής, οἱ δὲ, ἀπὸ Μύτωνος τοῦ Ποσειδῶνος καὶ Μιτυλήνης, ὅθεν Μυτωνίδα καλεῖ τὴν Λέσβον Καλλίμαχος ἐν τῷ τετάρτῳ. Παρθένιος δὲ Μυτωνίδας τὰς Λεσβικάς φησι. Λέγονται καὶ Μύτωνες καὶ Μυτωναῖοι καὶ Μυτιληναῖος. In Herodoto I, 160. Μυτιλήνην, Μυτιληναῖοι et Μυτιληναίων ex codicibus edidit Schweighaeuserus. Reliquis in locis universi libri ΜΙΤΥΛΗΝ. praebent. Lib. I, c. 27. Μιτυληναῖος reperitur, lib. II, c. 135. Μιτυληναίου et Μιτυλήνην, c. 178. Μιτυληναίων, lib. III. c. 13. Μιτυληναίην, c. 14. Μιτυληναίων, lib. IV, c. 97. Μιτυληναίων, lib. V. c. 11. Μιτυληναίου et Μιτυλήνης, c. 37. Μιτυλήνην, c. 38. Μιτυληναῖοι, c. 94. Μιτυληναίων et Μιτυληναῖοι, c. 95. Μιτυλήνην et Μιτυληναίους, lib. VI, c. 5. Μιτυλήνην. c. 6. Μιτυληναῖοι. Immanuel Bekkerus in scriptoribus Graecis ab ipso editis ubique fere ΜΥΤΙΛ. exaravit, etiam in iis locis, ubi ΜΙΤΥΛ. habent codices.[52]) Vide Bekkeri Thucydidem lib. III. c. 2. (ubi conferenda editoris Berolinensis nota) c. 3. 4. 5. 6. 8. 15. 18. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 35. 36. 37. 38. 39. 40. 41. 42. 44. 47. 48. 49. 50. lib. IV, c. 52. et 75. lib. VIII. c. 22. et 23. In Demosthenis oratione περὶ συντάξεως p. 151. codicis Parisiensis, littera Σ designati, auctoritate Μυτιληναίων edidit Bekkerus, quod etiam in oratione περὶ τῆς Ῥοδίων ἐλευθερίας p. 176. reposuit. Idem Bekkerus in Isocrate p. 338. Μυτιληναῖοι scripsit, ubi libri omnes Μιτυληναῖοι

p. 686. Hudson. et Duker. ad Thucydid. III, 25. Villois. in Anecdot. Graec. Vol. II. p. 176. Müller. ad. Schol. Lycophr. Vol. I. p. 488. Ruhnken. ad Vell. Pat. II, 18. Oudendorp. ad Sueton. Caes. 2. Is. Voss. et Tzsch. ad Pomp. Mel. II, 7. Cellar. orb. ant. II, lib, III, c. 2. §. 10. nr. 8. Cf. indicem Gud. in inscr. antiq. p. 31.

[52]) Idem in Herodoto factum video a Gaisfordio.

exhibent. Confer praeterea alteram operis Demosthenis partem p. 274. et 441. ubi *Μυτιλήνης*, *Μυτιληναίων*, *Μυτιληναῖοι* et *Μυτιλήνη* reposita invenies. In Antiphonte tamen p. 49. 50. 51. 63. vulgatam scripturam retinuit Bekkerus. In reliquorum scriptorum Graecorum editionibus ubique, quantum scio, *Μιτυλ.* reperitur. Etiam Latini plerumque *Mitylene* scripserunt, passim tamen *Mytilene*. In Velleio Paterculo II, 18. *Mytilenaeorum* ex editione principe servavit Ruhnkenius, quae tamen editio sibi non constat, cum lib. I, 4. scripturam *Mitylene* praebeat. Harduinus in Plinio utramque exhibet scripturam. Vide Plin. H. N. lib. V, 30. 31. 33. XIX, 3. *Mytilene* invenitur apud Pomponium Melam II, 7. in Vitruvio autem I, 6. *Mitylene* scriptum est. Idem habent Horatius, Tacitus ceterorumque plurimi. A nonnullis scriptoribus nomen illud in plurali effertur, verbi caussa a Livio epit. 89. Sueton. Caes. 2. Tib. 10. et Hygin. fabul. 221. Consulendus de hac re Garatonius ad Cic. orat. contr. Rull. II, 16. init.

Nummi ad unum omnes *ΜΥΤΙ.* habent. In inscriptione apud Grut. MCXVIII. *ΜΥΤΙΛΗΝΑ* reperitur. In Marmore Pario ep. XXXV videre est *ΜΙΤΥΛΗΝΗΣ*. Sic etiam apud Pocockium Insc. I, 4, 6. p. 46. et ap. Gruter. CCCCLXXIV, 8. *Qui Mitylenis negotiantur.*

Constabat Mytilene e duabus partibus, altera antiqua, altera recentiore. Antiqua urbs sita erat in parva insula ab urbe recentiore, in ipsa Lesbo posita, euripo interfluente discreta, qui nunc terra completus esse narratur.[53]) Duplicem insula ea efficiebat portum, meridionalem et septentrionalem. Strabo XIII, p. 617. ἔχει δ' ἡ Μιτυλήνη λιμένας δύο — πρόκειται δ' ἀμφοῖν νησίον, μέρος τῆς πόλεως ἔχον αὐτόθι συνοικούμενον. Thucydides (III, 6.) Οἱ δὲ Ἀθηναῖοι — — ξαμμά-

[53]) Choiseul. Tom. I, p. 84.

χους τε προςεκάλουν — καὶ περιορμισάμενοι τὸ πρὸς νότον τῆς πόλεως, ἐτείχισαν στρατόπεδα δύο ἑκατέρωθεν τῆς πόλεως, καὶ τοὺς ἐφόρμους ἐπ' ἀμφοτέροις τοῖς λιμέσιν ἐποιοῦντο. De meridionali portu ita scribit Strabo: ὁ νότιος κλειστὸς τριήρεσι καὶ ἐν ναυσὶ πεντήκοντα, quae verba Wesselingius ad Diodor. XIII, 79. nixus geographi loco lib. XIV, p. 656. (ubi legimus: εἶτα Κνίδος, δύο λιμένας ἔχουσα, ὧν τὸν ἕτερον κλειστὸν τριηρικὸν καὶ ναύσταθμον ναυσὶν εἴκοσιν) hac ratione correxit: ὧν ὁ νότιος κλειστὸς τριήρεσι καὶ ναύσταθμον ναυσὶ πεντήκοντα. Equidem scripsisse puto Strabonem: κλειστὸς τριηρικὸς (sive τριηρετικὸς) ναυσὶ πεντήκοντα, *portus triremium quinquaginta capax*. Choiseulius perhibet geographi loco, quem corruptum dicit, sensum talem inesse: *Portus meridionalis, triremibus inaccessus, naviculis quinquaginta stationem tutam praebet.*[54]) Ea certe tempestate, qua ipse urbem viserit, portum nonnisi navigiola continuisse testatur, nulloque argumento, illius aquam tempore tenuem redditam, demonstrari posse affirmat. Mihi tamen portus naturam post Strabonis tempora immutatam esse haud absonum videtur. Κλειστός nullo modo ad τριήρεσι referri potest, sed significatur eo, portum meridionalem pariter atque septentrionalem clausum fuisse aggere, cuius rudera hodie apparere testantur recentiores.

Portus septentrionalis narrante Strabone fuit μέγας καὶ βαθύς, χώματι σκεπαζόμενος. Huius quoque aggeris pars magna servata est, testibus Pocockio, Choiseulio, aliisque. Locorum illorum mentio fit apud Xenophontem et Diodorum in commemoratione rerum anno vicesimo sexto belli Peloponnesiaci gestarum. Xenophon nempe, (Hist. Graec. I, 6.) postquam Methymnam a Callicratida captam narravit, ita pergit: Κόνωνι εἶπεν, ὅτι παύσει αὐτὸν μοιχῶντα τὴν θάλατταν. κατιδὼν δὲ

---

[54]) P. 83. Sequitur eum Falconer. in nota ad Strabonis locum.

αὐτὸν ἀναγόμενον ἅμα τῇ ἡμέρᾳ, ἐδίωκεν, ὑποτεμνόμενος τὸν ἐς Σάμον πλοῦν, ὅπως μὴ ἐκεῖσε φύγοι. Κόνων δ᾽ ἔφευγε ταῖς ναυσὶν εὖ πλεούσαις, διὰ τὸ ἐκ πολλῶν πληρωμάτων ἐς ὀλίγας ἐκλελέχθαι τοὺς ἀρίστους ἐρέτας, καὶ καταφεύγει ἐς Μιτυλήνην τῆς Λέσβου, καὶ ξὺν αὐτῷ τῶν δέκα στρατηγῶν Λέων καὶ Ἐρασινίδης. Καλλικρατίδας δὲ ξυνεισέπλευσεν ἐς τὸν λιμένα, διώκων ναυσὶν ἑκατὸν καὶ ἑβδομήκοντα. Κόνων δὲ, ὡς ἔφθη ὑπὸ τῶν πολεμίων κατακωλυθεὶς, ἠναγκάσθη ναυμαχῆσαι πρὸς τῷ λιμένι καὶ ἀπώλεσε ναῦς τριάκοντα· οἱ δ᾽ ἄνδρες ἐς τὴν γῆν ἀπέφυγον· τὰς δὲ λοιπὰς τῶν νεῶν, τετταράκοντα οὔσας, ὑπὸ τῷ τείχει ἀνείλκυσε. Καλλικρατίδας δὲ, ἐν τῷ λιμένι ὁρμισάμενος, ἐπολιόρκει ἐνταῦθα τὸν ἔκπλουν ἔχων. καὶ κατὰ γῆν μεταπεμψάμενος τοὺς Μηθυμναίους πανδημεί, καὶ ἐκ Χίου τὸ στράτευμα διεβίβασε· χρήματά τε παρὰ Κύρου αὐτῷ ἦλθεν. Diodorus XIII, 77. 78. narrat Cononem in proelio extra portum adversus Callicratidam commisso victum cum navibus quadraginta Mytilenen se recepisse; reliquas triginta Atheniensium naves ab hostibus Lesbum esse compulsas, quibus relictis milites classiarii terra in urbem sese contulerint. Tum Callicratidas, scriptore illo (cap. 79.) teste, Mytilenes portum a Conone validis impedimentis obstructum post longum saevissimumque certamen occupavit urbemque gravissima obsidione cinxit. Quanquam in Xenophontis et Diodori narrationibus nonnulla subobscura sunt, illud tamen certum, de septentrionali portu eos loqui. Verbis πρὸς τῷ λιμένι apud Xenophontem, qui in ipso portu triginta naves perdidisse tradit Cononem, interiora portus Mytilenaei, quae urbis moenia adtingebant, designari videntur. Diodorus postquam Athenienses a Callicratida statione depulsos narravit, ὧν συμφυγόντων, inquit, εἰς τὸν ἐν τῇ πόλει λιμένα, διέπλευσε τὰ διαφράγματα, καὶ καθωρμίσθη πλησίον τῆς πόλεως τῶν Μιτυληναίων. Ὁ γὰρ εἴςπλους, ὑπὲρ οὗ διηγωνίζοντο, λιμένα μὲν εἶχε καλόν, ἐκτὸς δὲ τῆς πόλεώς ἐστιν. Ἡ μὲν γὰρ ἀρχαία πόλις, μικρὰ νῆσός τίς ἐστιν· ἡ δ᾽ ὕστερον

προσοικισθεῖσα, τῆς ἀντιπέραν ἐστὶ Λέσβου· ἀνὰ μέσον δ' αὐτῶν ἐστὶν εὔριπος στενὸς καὶ ποιῶν τὴν πόλιν ὀχυράν. Choiseulio, qui huncce Diodori locum difficilem intellectu perhibens verbis ὧν συμφυγόντων εἰς τὸν ἐν τῇ πόλει λιμένα illud innui putat: *in interiora portus sub ipsa moenia se recepisse Athenienses*, accedo equidem. Portus aditus (ὁ εἴσπλους) *extra urbem*, (ἐκτὸς τῆς πόλεως) fuisse dicitur a Diodoro, quia a muris remotior fuit quam ille locus, quo confugit Conon. Tota Diodori narratio, ut recte monet Choiseulius, prodere videtur, scriptorem locorum illorum naturam non satis perspectam habuisse. Schneiderus ad Xenoph. l. l. (p. 51. edit. alt.) haec scripsit: *Equidem cur euripus dicatur τῶν Πυῤῥαίων* (scil. in locis, quos ex Aristotele aliisque paullo ante protulit) *et an diversus ab euripo Mytilenaeorum, quod tamen vix credo, me nescire fateor; hoc tamen ex locis allatis patet, ad urbem Mytilenen portumque urbi vicinum navigantibus nullum alium aditum patuisse nisi per euripum. Conon igitur, postquam per euripum ingressus naves suas sub moenia urbis in portum contraxisset, euripum eiusque aditum obstruere conatur, ne Callicratidae ingressus pateret, quem tamen ille perrupit et naves suas in portu altero, ab urbe remoto, collocavit, atque adeo τὸν ἔκπλουν Cononi praecludere potuit, ut Conon illi τὸν εἴσπλουν i. e. euripi aditum occludere conatus est. Ex his omnibus apparere puto, verba Xenophontis* ξυνεισέπλευσιν ἐς τὸν λιμένα, *esse intelligenda de portu remoto ab ipsa urbe, in aditu euripi et forte in adversa insula sito. Contra Conon occupaverat portum interiorem sub ipsa urbe.* Ad euripum Πυῤῥαίων quod attinet, eum ab illo, qui Mytilenen bipartitus erat, diversissimum fuisse, extra omnem dubitationem positum est. Mirum vero, quod ait Schneiderus, ad urbem Mytilenen eiusque portum navigantibus nullum alium aditum patuisse, nisi per euripum. Haec et reliqua a viro clarissimo prolata

quomodo cum Xenophontis et Diodori narrationibus et cum Choiseulii accuratissima locorum illorum descriptione conciliem non habeo.

Nunc e portibus, in quibus fortasse nimium diu commorati sumus, in ipsam introeamus urbem. Haec qualis fuerit e scriptorum locis quos iam citabo apparet. *Κατεσκεύασται τοῖς πᾶσι καλῶς*, ait Strabo. Moenibus eam bene munitam fuisse, tum ex Xenophontis loco laudato, tum e Thucydide[55]) intelligitur. Cicero contr. Rull. II, 16. *Quid Mytilenae? quae certe vestrae Quirites, belli lege ac victoriae iure factae sunt: urbs et natura et situ et descriptione aedificiorum inprimis nobilis: agri iucundi et fertiles.*[56]) Longus Pastoral. init. *Πόλις ἐστι Λέσβου Μιτυλήνη μεγάλη καὶ καλή· διείληπται γὰρ εὐρίποις, ὑπεισρεούσης τῆς θαλάσσης καὶ κεκόσμηται γεφύραις ξεστοῦ καὶ λευκοῦ λίθου· νομίσεις οὐ πόλιν ὁρᾷν, ἀλλὰ νῆσον.* Vitruvius I, 6. haec monet: „*Quare vitandum videtur hoc vitium et animadvertendum, ne fiat, quod in multis civitatibus usu solet evenire, quemadmodum in insula Lesbo oppidum Mitylene magnificenter est aedificatum et eleganter, sed positum non prudenter. In qua civitate Auster cum flat, homines aegrotant, cum Corus, tussiunt, cum septentrio, restituuntur in sanitatem, sed in angiportis et plateis non possunt consistere propter vehementiam frigoris.*" Aristoteles de Caecia, quem a Thebae campo flantem a Lesbiis *Θηβαίαν* vocari ait, *ἐνοχλεῖ δὲ τὸν Μιτυληναίων λιμένα, μάλιστα δὲ τὸν Μαλόεντα.* Traxit portus nomen illud a campo Maloente Apollini sacrato, quem commemorant Thucydides[57]) et

[55]) Lib. III, c. 39.

[56]) Conf. Horat. Carm. I, 7, 1. Epp. I, 12, 17. Martial. X, 68, 1. Cic. epp. IV, 7. Senec. ad Helv. IX.

[57]) Lib. III, 3.

et Hellanicus apud Stephanum Byzantium.[58]) Uter portuum Mytilenaeorum id nomen gesserit definire non possumus, quia, ubi locus Apollini sacer situs fuerit ignoramus. Ex aedificiis, quibus insignis erat Mytilenaea civitas, affero theatrum[59]) et prytaneum.[60]) Ab urbe quae hodieque *Mytilene* audit septentrionem versus per unius milliarii spatium iter faciens ad aquaeductus praeclari rudera pervenies, quae aeri incidi curaverunt Pocockius et Choiseulius.

Malea[61]) promontorium, a Mytilene stadiis septuaginta distans, Arginusis oppositum est, quae proximae adiacent continenti, si Strabonem audias ea regione, ubi Canae,[62]) Locrensium colonia, sitae erant. Strab. XIII, p. 616. *Ἀπὸ Μηθύμνης εἰς Μαλίαν νοτιώτατον ἄκρον ἐν δεξιᾷ ἔχουσι τὴν νῆσον, καθ᾽ ὃ αἱ Κάναι μάλιστα ἀντίκεινται τῇ νήσῳ καὶ συναπαρτίζουσι, στάδιοί εἰσι τριακόσιοι τετταράκοντα* et paullo post p. 617. in. de Arginusis: *τρεῖς μέν εἰσιν οὐ μεγάλαι νῆσοι, πλησιάζουσαι δὲ τῇ ἠπείρῳ, παρακείμεναι δὲ ταῖς Κάναις.* Xe-

---

58) S. v. *Μαλόεις*. Sic enim scribendum erat Berkelio, non *Μαλλόεις*.

59) Plutarch. vit. Pomp. cap. 42.

60) Athen. X, p. 424.

61) Apud Thucydidem et Xenophontem *Μαλέα* nuncupatur, Strabo *Μαλίαν* appellat. In Schol. Aristoph. ad Ran. v. 33. et in Ptolemaeo perperam scriptum est *Μανία*.

62) Distinguit Strabo *Κάνην* promontorium et *Κάνας* oppidum p. 615. in. *Εἶτ᾽ ἐν ἑκατὸν σταδίοις ἡ Κάνη τὸ ἀνταῖρον ἀκρωτήριον τῷ Λεκτῷ. — — Κάναι δὲ πολίχνιον Λοκρῶν τῶν ἐκ Κύνου, κατὰ τὰ ἄκρα τῆς Λέσβου τὰ νοτιώτατα, κείμενον ἐν τῇ Καναίᾳ. αὕτη δὲ μέχρι τῶν Ἀργινουσσῶν διήκει καὶ τῆς ὑπερκειμένης ἄκρας, ἣν Αἰγᾶ τινὲς ὀνομάζουσιν ὁμωνύμως τῷ ζώῳ. — — οὕτω γὰρ καὶ τὸ ὄρος ὅλον ὠνομάζετο, ὃ νῦν Κάνην καὶ Κάνας λέγουσιν.* Sed quae in hoc loco protulit Strabo mihi quidem confusa neque ex omni parte recte dicta videntur. Vix dubitari potest quin verum viderit Choiseulius, qui Canas oppidum eo posuit ubi nunc vicus, quem Kanot-Kevi vocant, situs est.

nophon Hist. Graec. I, 6. Ὁ δὲ Καλλικρατίδας ἀκούων τὴν βοήθειαν ἤδη ἐν Σάμῳ οὖσαν, αὐτοῦ μὲν κατέλιπε πεντήκοντα ναῦς καὶ ἄρχοντα Ἐτεόνικον, ταῖς δὲ εἴκοσι καὶ ἑκατὸν ἀναχθεὶς, ἐδειπνοποιεῖτο τῆς Λέσβου ἐπὶ τῇ Μαλέᾳ ἄκρᾳ, ἀντίον τῆς Μιτυλήνης. τῇ δ᾽ αὐτῇ ἡμέρᾳ ἔτυχον καὶ οἱ Ἀθηναῖοι δειπνοποιούμενοι ἐν ταῖς Ἀργινούσαις. αὗται δ᾽ εἰσὶν ἀντίον τῆς Λέσβου ἐπὶ τῇ Μαλέᾳ ἄκρᾳ, ἀντίον τῆς Μιτυλήνης. Morus, Zeunius et F. A. Wolfius verba ἀντίον τῆς Μιτυλήνης in posteriore loco ex antecedente temere repetita esse credunt. Aut hoc probandum verbaque ἐπὶ τῇ Μαλέᾳ *imminentes Maleae* interpretanda, aut, quod Weiskio placet, totum illud: Αὗται δ᾽ εἰσὶν — — Μιτυλήνης pro scholio habendum. Quo certius est, Mytilenen inter Methymnam et Maleam sitam esse, eo maiorem admirationem nobis excitat Thucydides, qui (III, 4.) de Atheniensibus Mytilenen oppugnantibus: ὥρμουν ἐν τῇ Μαλέᾳ πρὸς βορέαν τῆς πόλεως. Difficultas, quae inest his verbis, ulla interpretatione tolli nequit, sed erroris insimulandus Thucydides.[63]) Ceterum narrante Strabone a *Methymna* usque ad Maleam stadia sunt trecenta quadraginta, hinc ad Sigrium promontorium, quae insulae est longitudo, stadia quingenta sexaginta, quod verum, si sinuum omnium rationem habeas.

Malea promontorio superato, ad ostium angustissimum sinus pervenies, qui nunc *Iero* seu Ἐλαιών appellatur navibusque stationem commodissimam et tutissimam praebere dicitur.[64]) Sinui interiori hodie adiacent vici nonnulli, quibus nomen *Iera*. Dubitari vix potest, quin in ea regione *Hiera* urbs, quam ante sua ipsius tempora obiisse narrat Plinius, sita fuerit.[65])

[63]) Possis quidem in eam adduci opinionem, verba πρὸς βορέαν τῆς πόλεως ad ἀποστέλλουσι retrahenda esse. Sed haec structura mihi nimis dura et contorta videtur Thucydidemque, hoc si voluisset, verba alio ordine positurum fuisse opinor.

[64]) Pocock. descript. Orient. Tom. III, p. 30.

[65]) Pocock. l. l.

A portu illo occidentem versus proficiscentes ad euripum Pyrrhaeorum deveniunt, cuius antea meminimus. Prope intimum euripum sita fuisse putanda est *Pyrrha* urbs, quae habebat portum. Hinc usque ad Aegirum aegri Methymnaei pagum stadia sunt viginti, ad Maleam centum, ad Mytilenen octoginta, narrante Strabone, qui tamen numeros iusto minores prodidisse videtur. Pyrrha iam Strabonis aetate excepto suburbio eversa erat [66]) neque ullo tempore magni fuit momenti. Terrae tractus, quem orientalis sinus Pyrrhaei pars alluit, hodie *Pera* vocatur. Euripum qui nunc *Calossi* audit aquam valde tenuem habere dicunt recentiores, alioquin navibus recipiendis aptissimum esse. [67]) Varia de eo leguntur apud Aristotelem. Is ex euripo, qui alto mari gelidior sit, hieme propter frigus pisces omnes exire dicit, praeter gobionem, et simul cum vere reverti. Non esse in euripo scarum, thrissam, aliaque aristis praedita, neque mustelos, neque acanthias, neque locustas, neque polypos, neque bolitaenas neque alia quaedam. Atque ex iis, quos euripus ferat, gobionem candidum in alto mari non reperiri. Circa Lesbum tum eos, qui in alto, tum illos, qui in euripo degant, in euripo parere. [68]) Quae stella appelletur, eam natura sua adeo calidam esse tradit Aristoteles, ut quicquid assumserit, si statim eximatur, discoctum reperiatur. Referri ait, ab hac peste Pyrrhaeum euripum magnopere incommodari. [69]) Narrat porro philosophus, in euripo olim defecisse pectines, non solum quia instrumento piscatores verrerent, sed etiam ob anni siccitatem. [70]) Monet ille denique echinos escu-

---

66) Plinius l. l. eam mari haustam esse scribit.

67) Pocock. l. l. p. 29.

68) Aristot. Hist. animal. IX, 25, 8. Schneid.

69) Aristot. lib. V, 13, 10.

70) Lib. VIII, 20, 15.

lentos in euripo Pyrrhaeorum degentes per hiemem maxime commendari; minutiores quidem esse, sed plenos ovorum.[71])

Inter euripum Pyrrhaeum et Eresum *Brisam* promontorium, cuius meminit Stephanus Byzantius,[72]) collocavit Choiseulius. *Eresus*[73]) urbs notante Strabone in colle sita erat ad mareque pertinebat, quod etiam ex Diodoro apparet, lib. XIV, c. 94. ubi de Thrasybulo: *Μετὰ δέ τινα χρόνον ἐξ Ἑλλησπόντου πλεύσας εἰς Λέσβον, ἐν τῷ παρὰ τὴν Ἐρεσσὸν αἰγιαλῷ καθώρμει*, et ex Archestrato qui in versibus supra positis Eresi *μαστὸν* (*λόφον* Strabonis) *περικύμονα* vocat.[74]) Eresum, Strabone p. 618. teste, sequitur *Sigrium*, promontorium Lesbi occidentale, hoc Antissa. His non bene convenit quod p. 617. prodit geographus: *ἀπὸ Λεκτοῦ ἐπὶ Ἄσσον πλέουσιν ἀρχὴ τῆς Λεσβίας ἐστὶ, κατὰ Σίγριον τὸ πρὸς ἄρκτον αὐτῆς ἄκρον.* Sed verum videtur quod posteriore loco protulit Strabo. Sigrium promontorium hodie *Sigri* appellatum Antissam inter et Eresum collocant etiam recentiores et in Austroafricum illud extendi perhibent.[75]) *Antissa* urbs, quae portum habebat, a principio in exigua insula prope Lesbum condita narratur. Praeter locum Strabonis, quem de variis Lesbi nominibus disputans attuli, huc pertinent versus Ovidii (Metamorph. XV, 287.)

Fluctibus ambitae fuerant Antissa Pharosque
Et Phoenissa Tyros, quarum nunc insula nulla est.

---

[71]) Lib. V, 10, 2.

[72]) S. v. *Βρίση*.

[73]) Scribitur et *Ἐρεσός*, *Ἐρέσιος* et *Ἐρεσσός*, *Ἐρέσσιος*. Prius, quod nummi habent, melius videtur.

[74]) Quo Eresum collocavit Choiseulius, ibi hodie vicus quidam, quem *Eresso* appellant, constitutus est. Ad orientem huius vici antiquorum aedificiorum parietinas positas esse monent Choiseulius et Pocockius. Cf. Mannert. Geograph. Antiq. T. VI, P. 3. p. 444.

[75]) Pocock. l. l. p. 28 et 29.

His addendus Plinius H. N. II, 91. *Rursus* (natura) *abstulit insulas mari iunxitque terris: Antissam Lesbo* etc.

Methymna,[76]) urbium Lesbiarum post Mytilenen celeberrima, ab oppositae continentis litore, quod est inter Polymedium et Assum, stadiis sexaginta secernebatur, a Malea promontorio trecentis quadraginta, a Sigrio quingentis sexaginta. Hodie *Molivo* dicitur. Neque de magnitudine neque de aedificiis illius quidquam prodiderunt scriptores.

Arisbam[77]) unam ex sex maximis urbibus ab Aeolum colonis in Lesbo constitutis, in Methymnae vicinia sitam fuisse, ex eo probabile fit, quod Methymnaei Arisbaeos in servitutem redegerunt illorumque solum occuparunt testibus Herodoto et Strabone.[78]) *Nape*, quam ab Hellanico ignoratione lapso *Lapen* vocari tradit Strabo, in campo Methymnaeo constituta erat.[79])

---

[76]) Scriptorum Graecorum plurimi habent *Μήθυμνα*; in paucis tantum locis reperitur *Μέθυμνα*. Nummi autonomi exhibent *Μα* et *Με*; imperatorii inde a Domitiano *Μη*. Vide Wass. ad Thucydid. III, 2. Tzsch. ad Strab. lib. IX. p. 554. 555.

[77]) Quae sequuntur oppida, eorum nomina in tabula geographica maxima ex parte omissa sunt, quia ubi loci illi siti fuerint hodie erui omnino nequit.

[78]) Herodot. I, 151. Strab. lib. XIII. p. 590. B. edit. Cas. p. 450. Tzsch. Plinius H. N. l. l. Arisbam terrae motu subversam dicit.

[79]) Strab. lib. IX. p. 426. C. *ἑξῆς δὲ Βῆσσά τι πεδίον· καλοῦσι δ᾽· οὕτως ἀπὸ τοῦ συμβεβηκότος τῷ τόπῳ· δρυμώδης γάρ ἐστι· ταύτην μὲν οὖν τὴν Βῆσσαν ἐν τοῖς δυσὶ γραπτέον σσ· ἀπὸ γὰρ τοῦ δρυμώδους ὠνόμασται ὁμωνύμως· ὥσπερ καὶ Νάπη ἐν τῷ Μηθύμνης πεδίῳ, ἣν Ἑλλάνικος ἀγνοῶν Λάπην ὀνομάζει.* Apud Stephanum Byzantium tamen videre est: *Νάπη, πόλις Λέσβου· Ἑλλάνικος ἐν δευτέρῳ Λεσβιακῶν. ὁ πολίτης, Ναπαῖος· καὶ Ἀπόλλων Ναπαῖος.* Cf. Sturz. de Hellan. p. 16. Macrob. Sat. I, 17. Suidas s. v. *Νάπη*. Mionnet. Numm. Gr. Tom. III. p. 60. Hellanicum quo nomine oppidum illud recte

Aegirum, agri Methymnaei pagum, inter Mytilenen et Methymnam, e regione Pyrrhae ponit Strabo, remotum illum dicens ab euripo viginti stadiorum spatio. *Agamede*, circa Pyrrhaeorum urbem Nicolao Damasceno et Stephano Byzantio testibus posita,[80]) obiit ante tempora Plinii.[81]) *Ὑπερδέξιον*, ait Stephanus, *χωρίον Λέσβου, ἐν ᾧ Ζεὺς Ὑπερδέξιος καὶ Ὑπερδεξία Ἀθηνᾶ. Ὡς οὖν ἀπὸ Βυζαντίου Βυζάντιος, οὕτω παρὰ τὸ Ὑπερδέξιον, Ὑπερδέξιος τὸ ἐθνικόν. Νικόλαος δὲ πληθυντικῶς Ὑπερδεξίους φησίν. Polium τόπος* fuit Lesbi, narrante Stephano,[82]) sacellum habens Tantali herois. Putat Luc. Holstenius p. 258. esse *Πόλησν* Nicolai Damasceni in excerptis p. 442. *Ὅτι Σκάμανδρος ὁ βασιλεὺς πρῶτος τῶν Τρώων, Σάμωνι χρησάμενος συνεργῷ τοὺς ἐν Τρωάδι ἐνίκησεν. ἀποθανόντος δὲ Σάμωνος κατὰ τὴν μάχην, τὴν γυναῖκα αὐτοῦ Δάδαν μητέρα τῶν νεανίσκων εἰς τὸ Πόλησν ἐξέπεμψε διὰ κήρυκος, ὡς ἂν ἐκεῖ συνοικήσειεν ὅτῳ βούληται. ὁ δὲ κήρυξ κατὰ τὴν ὁδὸν βιασάμενος αὐτὴν ᾔσχυνεν. ἡ δὲ τὸ ξίφος ἔχουσα τὸ τοῦ ἀνδρὸς αὑτὴν διεχρήσατο.* Verior tamen videtur Valesii sententia, agri Troiani oppidum a Nicolao significari opinantis, quod ad Simoentem condiderunt Astypalaeenses et quod ab initio *Πόλιον*, posthac *Πόλισμα* appellatum est, referente Strabone lib. XIII, p. 601. Apud eundem scriptorem lib. IX, p. 440. invenies: *τῆς δὲ Μιτυλήνης ἀπὸ πεντήκοντα σταδίων εἰσὶ Λαρισσαῖαι πέτραι κατὰ τὴν ἐπὶ Μηθύμνης ὁδόν.* Quae praecedunt *καὶ ἐν σίνα* (*σύνα*) corrupta sunt; ne pagum Mytilenaeum credas.

---

appellaretur ignorasse, haud credibile est. Probabilius videtur quod placuit Sturzio, nomen *Νάπη* in eo Hellanici codice, quo usus sit Strabo, in *Λάπην* depravatum fuisse. Suspicari quoque licet Hellanicum oppidum lingua vulgari *Napen* dictum Lesbia dialecto *Lapen* appellasse.

[80]) Nicolaus Damascenus in excerptis. Steph. Byz. s. v. *Ἀγαμήδη*.

[81]) Plin. H. N. l. l.

[82]) S. v. *Πόλιον*.

Insularum exiguarum in Lesbi vicinia sitarum permultas affert Plinius, verbi caussa Cydoneam, unam ex iis, quae Leucae appellatae sint, Sandaleon aliasque. Hae ubi collocandae sint nunc quidem certo dici non potest.[83]) In freto, quod est inter Lesbum atque Asiam, insulae parvae fuerunt ad viginti, secundum Timosthenem quadraginta, uno nomine Hecatonnesi appellatae in honorem Apollinis Hecati, qui in tota ista Asiae ora maximopere colebatur. Iacebat ibi etiam Pordoselena, urbem in se habens cognominem atque ante urbem alia insula maior cum urbe eiusdem nominis deserta temploque Apollinis.[84])

---

83) Nomina eorum in tabula geographica ibi adscripta sunt, quo ea collocavit Choiseulius, uncis tamen inclusa. Unde vir doctus insulam *Nesiopen*, quam Antissam inter et Sigrium promontorium posuit, cognitam habuerit, ignoro equidem. Certe neque apud Strabonem nec Plinium nec Stephanum Byzantium quidquam de ea proditum reperies.

84) Strab. XIII, 618. Cas. p. 435 sq. Tzsch. Cf. Pocock. l. l. p. 26.

CAPUT SECUNDUM.

Historia.

Quinam primi Lesbi incolae fuerint perquirentibus nobis eiusdem generis fabulae, quales aliarum civitatum Graecarum antiquissimam historiam indaganti offeruntur, obviam fiunt. Illae ante omnia exponendae, quo facto nostram de iis sententiam proferemus.

Lesbum ἔρημον οὖσαν Xanthus Triopae filius primus occupasse traditur. Is nempe, ut aiunt, coloniae Pelasgicae dux Argis in Lyciam profectus est partemque terrae illius aliquamdiu obtinuit, deinde vero cum Pelasgis ex Peloponneso ipsum secutis Lesbum *transmigravit.* [1]) Ab eo insula, Issa antehac dicta, Pelasgia nuncupata esse narratur. Diluvio Deucalionis, quo septem post aetatibus Graecia inundata fertur, Lesbum quoque obrutam incolisque orbatam esse dicunt. [2]) Macara deinde sive Macareum [3]) insulam sedem sibi legisse perhibent, cuius genus in controversiam venit. Diodorus lib. V, c. 57. Macara ex septem Heliadis

---

[1]) Diodor. Sicul. V, 81. Cf. Euseb. Chronic. Meminerunt Xanthi illius etiam Schol. ad Eurip. Orest. 920. et Hygin. Fab. CXLV.

[2]) Diodor. Sicul. l. l.

[3]) Duplex huius nominis scribendi ratio veteribus in usu est. Reperitur nempe et *Μάκαρ* et *Μακαρεύς*. Tertia forma *Μάκαρος*, quam agnoscit Berkelius ad Steph. Byz. *Μυτιλήνη*, mihi quidem haud innotuit. Nihili est quod protulit Barnesius, in Homer. Il. *Ω*, 544. et in Hymn. Apoll. 37. *Μάκαρος* in *Μακαρεὺς* mutandum esse autumans.

unum Tenage fratre occiso, in Lesbum fugisse refert;[4]) idem alio loco Macareum, Crinaci a Iove oriundi filium, coloniam, tum ex Ionibus, tum ex variarum gentium hominibus collectam, Oleno urbe Achaiae illuc deduxisse tradit.[5]) Filias Macareo fuisse dicunt Mytilenen,[6]) Methymnam,[7]) Issam,[8]) Antissam,[9]) Ari-

---

[4]) Schol. Villois. ad Homer. Il. *Ω*, 544, ubi Lesbus *Μάκαρος ἕδος* appellatur, haec habent: *Μάκαρ ὁ Ἴλου φονεύσας τὸν ἀδελφὸν Τενάγην ἐκεῖσε ᾤκησε.* Repono sine ulla haesitatione *Ἡλίου*, quod scribi iussit etiam Heynius in Obss. ad Homer. l. l. Vol. VIII, p. 711. Schol. Victor. *Μάκαρ ὁ Ἡλίου καὶ Ῥόδου φονεύσας τὸν ἀδελφὸν Τενάγην ᾤκει αὐτοῦ.*

[5]) Diodor. V, 81. Schol. Victor. ad Homer. l. l. *τινὲς αὐτὸν Κρινάκου τοῦ Ὑρέως* (legit Heynius *Ὑριέως*) *τοῦ Ποσειδῶνος καὶ Ἀλκυόνης·* (qui notiore mytho parentes Orionis seu nutritores fuerunt, ut observat Heynius, qui conferri iubet Schol. ad Homer. Il. *Σ*, 486. et ad Apollodor. not. p. 47 sq.) *οἱ δὲ μητέρα αὐτοῦ Μιτυλήνην καὶ γυναῖκα Λέσβον.* Schol. br. ad Homer. l. l. *ἔκτισε τὴν Λέσβον Μάκαρ ὁ Κρινάκου καὶ ἐβασίλευσεν αὐτῆς.* Dionys. Halic. Antiq. Rom. I, 18. rem ita narrat: *Σκεδασθέντες δὲ (οἱ Πελασγοὶ) κατὰ φυγήν, οἱ μέν, εἰς Κρήτην ἀπῆλθον — — — — οἱ δέ, εἰς τὴν Ἀσίαν περαιωθέντες — — — πολλὰ χωρία κατέσχον — — — καὶ τὴν νῦν καλουμένην Λέσβον ἀναμιχθέντες τοῖς ἐκ τῆς Ἑλλάδος στέλλουσι τὴν πρώτην ἀποικίαν εἰς αὐτήν, ἄγοντος Μάκαρος τοῦ Κριασίου.* Pro *Κριασίου* viri docti coniecerunt *Κριάσου*, quod in schol. br. ad Hom. l. l. reposuit Barnesius. Wesselingius ad Diodor. Sic. V, 81. in Dionysii loco scribere mavult *Κρινάκου*. Equidem nihil mutandum esse censeo, cum diversas fuisse veterum narrationes appareat. In Hymn. Apoll. v. 37. Lesbus vocatur *Μάκαρος ἕδος Αἰολίωνος.* Est hic is Macareus, qui sororem Canacen amavit, notus ex Ovidii Heroid. XI, monente Heynio l. l.

[6]) Steph. Byzant. s. v. *Μυτιλήνη.* Diodor. Sic. l. l. Mytilenen alii Neptuno dedere uxorem. Fuerunt etiam, qui eam Pelopi filiam tribuerent; vide Stephanum Byzantium. Schol. Villois. et Vict. ad Hom. l. l. Mytilenen Macaris matrem fuisse perhibent. Diodorus Siculus III, 55. Myrinam ex Amazonibus unam Mytilenen appellatam esse narrat. Cf. Wesseling. ad h. l.

[7]) Steph. Byzant. s. v. *Μήθυμνα.*

[8]) Steph. Byzant. s. v. *Ἴσσα.*

[9]) Steph. Byzant. s. v. *Ἄντισσα.*

sbam;[10]) filios ei tribuunt Eresum,[11]) Cydrolaum aliosque.[12]) Methymnam, ut perhibent, Lesbo Lapithae filio, qui oraculi monitu commotus cum novis colonis in insulam immigrasse eamque nomine suo appellasse fertur,[13]) in matrimonium collocavit Macareus.[14]) Mox ille propagasse traditur imperium occupandis proximis insulis. Misit in eas narrante Diodoro filios cum colonis, ita, ut uni ex illis Chium, Cydrolao Samum, Neandro Con regendas demandaret. In Rhodum eodem scriptore teste migrare iussit Leucippum, multis aliis ei adiunctis, qui una cum priscis incolis insulam tenuisse dicuntur.[15]) Insulas illas quinque, Lesbum, Chium, Samum, Con et Rhodum *Μακάρων νή-*

---

[10]) Steph. Byzant. s. v. *Ἄρισβα.* Eustath. ad Homer. Il. B, 836. Z, 13.

[11]) Steph. Byzant. s. v. *Ἔρεσος.*

[12]) Diodor. Sic. l. l.

[13]) Diodor. Sic. l. l. Lesbi herois, qui insulae nomen suum indiderit, mentionem facit etiam Steph. Byzant. s. v. *Αἱμονία.* Schol. Villois. ad Homer. l. l. Macaris uxorem Lesbum nuncupat. Cf. Schol. Vict.

[14]) Diodor. Sic. l. l. Methymnae non Lesbum sed Lepetymnum maritum tribuunt Steph. Byzant. s. v. *Μήθυμνα* et auctor *κτίσεως Λέσβου* apud Parthen. Erot. c. XXI. In utroque enim loco *Λεπετύμνου* legendum ad Parthenium evicit Th. Gale. Vide etiam Holst. ad Stephani locum. Myrsili Lesbii de Macare illiusque familia narrationem servavit Clemens Alex. Protrept. p. 19. Paris. *οὔσας θεραπαινίδας ταύτας (τὰς Μούσας) ἐώνηται Μεγακλώ, ἡ θυγάτηρ Μάκαρος. ὁ δὲ Μάκαρ Λεσβίων μὲν ἐβασίλευεν, διεφέρετο δὲ ἀεὶ πρὸς τὴν γυναῖκα. ἠγανάκτει δὲ ἡ Μεγακλὼ ὑπὲρ τῆς μητρός· τί δ' οὐκ ἔμελλε; καὶ Μούσας θεραπαινίδας ταύτας, τοσαύτας τὸν ἀριθμὸν, ὠνεῖται καὶ καλεῖ Μύσας κατὰ τὴν διάλεκτον τὴν Αἰολέων. ταύτας ἐδιδάξατο ᾄδειν καὶ κιθαρίζειν τὰς πράξεις τὰς παλαιὰς ἐμμελῶς· αἱ δὲ, συνεχῶς κιθαρίζουσαι καὶ καλῶς κατεπᾴδουσαι τὸν Μάκαρα ἔθελγον καὶ κατέπαυον τῆς ὀργῆς. οὗ δὴ χάριν ἡ Μεγακλὼ χαριστήριον αὐταῖς ὑπὲρ τῆς μητρὸς ἀνέθηκε στήλας χαλκᾶς καὶ ἀνὰ πάντα ἐκέλευσε τιμᾶσθαι τὰ ἱερά.*

[15]) Diodor. l. l.

σους appellatas esse apud veteres scriptores legimus.[16]) Denique Macareum primam legem reipublicae utilissimam leonisque nomine insignitam sanxisse referunt.

Haec fere sunt, quae de antiquissimis Lesbi incolis a veteribus scriptoribus traduntur. Nos quidem istas narrationes in universum nulla plane fide dignas esse confidenter pronuntiare non dubitamus. Nihilominus tamen quid fabulatoribus ad talia fingenda ansam praebuerit inquirendum est, qua in re ita versabimur, ut simul a quibus tempore vetustissimo inhabitata fuerit Lesbus eruere tentemus.

Insulam desertam Pelasgos Xantho duce Argis profectos occupasse Diodorus, ut modo vidimus, narrat, neque Pelasgos antiquissimos Lesbi incolas fuisse negari potest. Sed antequam ad eos Pelasgos qui Lesbum olim tenuerunt perveniamus, de universa illa gente pauca praemittenda sunt. Nulla fere veteris historiae pars viris doctis plus facessivit negotii quam de Pelasgis quaestio; nos quidem illius, qui rem illam primus diligentius indagavit et explanavit[17]) premimus vestigia. Inprimis igitur priscos Pelasgos, Graeciae universae olim cultores ab iis, qui Tyrrhenorum nomine nuncupati ex Boeotia in Atticam, indeque in Scyrum, Imbrum, Lemnum, Samothracen, Lesbum, Troadem aliosque locos migrarunt, accurate secernimus. Hac distinctione magna pars difficultatum, quibus laborarunt historiae antiquae studiosi, removetur. Nihilominus tamen quaestio de priscis Pelasgis valde impedita manet, neque sperandum fore, ut res prorsus ad liquidum perducatur.

Universam fere Graeciam temporibus antiquissimis ab eo populo cultam esse inter veteres constat. Nam praeter Epirum et Thessaliam et Boeotiam et Atticam totamque Peloponnesum, quas principales Pelasgo-

---

[16]) Diodor. V, 82. Pompon. Mel. II, 7.

[17]) Müller. Aeginet. p. 9. Orchom. p. 125 sqq. p. 437 sqq.

rum sedes fuisse referunt, Thesprotiam, Euboeam, Cretam, Cyprum, Troadem aliasque regiones gens illa inhabitasse narratur. Plurimas harum terrarum Pelasgi inde ab omni tempore tenuisse putandi sunt: migrationibus eos in sedes illas venisse falso prodiderunt veteres quidam scriptores. Secundum Herodotum, quem prae ceteris in hac quaestione sequi debemus, ex solo suo numquam excesserunt Pelasgi. Gentem illam nec venando nec latrocinando, ut nonnulli arbitrantur, victum quaeritasse, sed agriculturae fuisse studiosam urbiumque condendarum peritam, multa comprobant. Ad agriculturae studium quod attinet, satis id declaratur tum narratione quae campos fertilissimos Pelasgorum populo sedes assignat, tum fabula, quae Pelasgum panis coquendi artem invenisse Ceremque hospitio excepisse perhibet. Pelasgos aedificiorum exstruendorum peritissimos fuisse nos dubitare non sinunt urbes *Λάρισσαι* appellatae, quarum ingens in Graecia exstitit numerus, veteribus geographis testibus. Magni urbium Pelasgicarum muri hodieque regiones illas peragrantibus admirationem sui iniiciunt.

Pelasgi diis, quos universi mundi aedificatores atque rectores putarunt, omnia ut Herodotus ait peragebant sacrificia, neque tamen initio ullum eorum nomine aut cognomento compellabant. Ab iis omnium fere deorum, quos venerabantur posteriores Graeciae habitatores, cultus originem traxit. Praecipua sanctimonia Iupiter Dodonaeus a Pelasgis cultus est, cuius oraculum vetustissimum administrabant Selli vitam degentes asperrimam. Ad Pelasgorum linguam quod attinet, eam ab illa, qua posteri Graeciae cultores usi sunt, haud diversam fuisse, nemo dubitabit, qui Pelasgos ipsos Graecos, neque ab Hellenibus diversos fuisse sibi persuasum habet. Firmissimis argumentis rem eam comprobavit vir doctus, cuius antea mentionem iniecimus.

Nunc ad Lesbum redeamus. Insulam eam a gente Pelasgica antiquitus cultam esse ex solo Strabone,

spretis Diodori Siculi commentis, effici potest. Strabo nempe lib. IX, p. 440. C., ubi de Larissis antiquissimis Pelasgorum urbibus loquitur, Lesbo in via Mytilene Methymnam ducente *saxa Larissaea* (vetustae urbis sine dubio rudera) exstare tradit. Eodem narrante Lesbii se sub Pylaeo Pelasgorum duce bello Troiano interfuisse perhibuerunt, quam ad rem mox nobis redeundum erit. Haec geographi illius testimonia nos, ut equidem opinor, haud dubitare patiuntur, quin Pelasgi Lesbum priscis temporibus inhabitaverint. Iam vero quaestio exsistit, utrum insulam ab omni inde tempore incoluerit Pelasgica gens, an ex alia regione in eam immigraverit. Monuimus supra Pelasgos, in universum pro autochthonibus habendos secundum Herodoti narrationem. Neque tamen dissimulandum, haud certo nos affirmare posse, universas terras, ubi vestigia reliquerunt Pelasgi, ab omni inde tempore a gente illa cultas esse. Ad Pelasgos Lesbios quod attinet, e Thessalia eos colonos provenisse arbitror, etsi longe absum, ut Dionysii Halicarnassei, qui rei illius auctor est, de Pelasgorum populo narrationem [18]) probem. Is nempe Pelasgos Argolide oriundos sexta aetate, Peloponneso relicta, in terram eo tempore Haemoniam, posthac Thessaliam nuncupatam immigrasse ait. Duces eorum, scriptore illo teste, fuerunt Achaeus, Phthius et Pelasgus, Larissae Neptunique filii. Per quinque aetates, ut tradit Dionysius, Pelasgica gens Thessaliam obtinuit, sexta aetate a Deucalione Promethei filio expulsa. Tum Pelasgi secundum scriptorem nostrum fuga dissipati diversos occupaverunt locos, verbi caussa Cretam, Cyclades, Euboeam, Hellesponti oram insulasque adiacentes. Sic eodem referente etiam Lesbum pervenere, una cum Macare Criasii filio, qui primos colonos e Graecia in insulam eam duxisse perhibetur a Dionysio. Haec est scriptoris illius de Pelasgorum

[18]) Dionys. Halic. Antiq. Tom. I, p. 18.

migrationibus narratio, primo adspectu fictam sese prodens eamque ob caussam ab harum rerum peritis reiecta. Neque tamen defuerunt, qui omnia ista Dionysii commenta confidenter amplecterentur. Nominandus mihi prae ceteris Raoul-Rochettius, operis de Graecorum coloniis auctor. Is omnia quae de Pelasgorum erroribus narrat Dionysius verissima putans Pelasgos una cum Macaris Criasii filii colonis Lesbum profectos esse nullus dubitat.[19]) Eidem Diodori Siculi narratione freto Pelasgos duce Xantho ex Argolide in Lyciam indeque in Lesbum immigrasse persuasissimum est. Rem eam confirmari ait Xantho urbe in Lycia ad Xanthum fluvium condita Lesbique urbe eodem nomine nuncupata.[20]) Mihi vero prorsus aliter sentienti omnis ista narratio fabula nihilo potior videtur. Equidem eas ipsas urbes, quibus Diodori narrationem comprobari perhibet Raoul-Rochettius, occasionem praebuisse arbitror mythographis, ut Xanthum illum cum colonia Pelasgica primo in Lyciam, deinde in Lesbum profectum esse dicerent. Fabulae de colonia a Macareo Lesbum deducta originem mox investigare tentabo; nunc ad eos Pelasgos, quos e Thessalia in insulam venisse supra monui, redeo. Pelasgos Lesbios e Thessalia esse oriundos non tam Dionysii Halicarnassei narratio, quam alia res facit ut credam. Cum nempe Larissam Troadis civitatem a colonis Thessaliis conditam esse eo confirmetur, quod Hippothous et Pylaeus, Pelasgorum illius civitatis in bello Troiano duces, Lethi a Teutamo heroë oriundi filii nominantur ab Homero,[21])

---

[19]) Raoul-Rochette histoire critique de l'établissement des colonies Grecques, Tom. I, cap. V, p. 181 sq.

[20]) Tom. I, p. 184 sq.

[21]) Homer. Il. B, 840 sqq.

Ἱππόθοος δ' ἄγε φῦλα Πελασγῶν ἐγχεσιμώρων
τῶν, οἳ Λάρισσαν ἐριβώλακα ναιετάασκον·
τῶν ἦρχ' Ἱππόθοός τε Πύλαιός τ', ὄζος Ἄρηος,
υἷε δύο Λήθοιο Πελασγοῦ Τευταμίδαο.

cf. Müller. Orchom. p. 445.

cumque teste Strabone Lesbii sub Pylaeo ad Ilium se militasse perhibuerint, Lesbi quoque colonia Pelasgica e Thessalia mihi originem traxisse videtur. Sensit hoc etiam Raoul-Rochettius, qui Pylaeum, cum montem Lesbi nomine illius appellatum esse testetur Strabo,[22]) insulae imperium gessisse credit, quod equidem in medio relinquo.

Iam ad fabulas de Macareo accuratius considerandas accedamus. Quantopere inter se dissentiant mythographi, ex iis quae supra attulimus patet. Narrationes tamen illas ad unam omnes fictas ex una eademque re originem traxisse, tum unusquisque talium fabularum peritus intelligit, tum ex sequentibus, ut spero, apparebit.

Sunt qui plures Macares deinceps cum colonis Lesbum profectos esse dicant. Eorum unus est Raoul-Rochettius, qui primum in insulam pervenisse statuit Macara Crinacii filium, a Dionysio Halicarnasseo commemoratum. Illum in Lesbo coloniam constituisse non dubitat vir doctus idque confirmari dicit tum Myrsili narratione, quam e Clemente Alexandrino supra attuli, tum Lesbi urbibus, ex Macarei filiabus, narrante Diodoro, nominatis.[24]) Neque in hac re fidem denegandam esse perhibet Dionysio, quem migrationum gentis Pelasgicae gnarissimum fuisse ait.[25]) Quin tempus coloniae illius accuratissime constituit Raoul-Rochettius, referens eam praeeunte Larchero ad annum millesimum octingentesimum vicesimum sextum ante Ch. n. Ab hoc Macare distinguit Macareum Crinaci filium, quem ex Achaia, Ionia eo tempore appellata, in Lesbum colonos duxisse narrat Diodorus Siculus. Miratur tamen Raoul-Rochettius quid sit, quod coloniae illius sub belli Troiani tempora in Lesbo constitutae

---

[22]) Lib. XIII, p. 621. C. edit. Cas. p. 445. edit. Tzsch.

[23]) Raoul-Rochett. l.l. p. 294.

[24]) l.l. p. 183.

[25]) l.l. p. 182.

praeter Diodorum nullus scriptor mentionem iniiciat. Rem eam sic enodare conatur, ut Macareum cum Ancaeo, Oenopione et Althaemene societatis vinculo coniunctum eodem tempore Lesbum pervenisse dicat, quo illi Samum, Chium et Rhodum colonis frequentaverint.[26]) Ab hisce duobus Macaribus secernit Raoul-Rochettius Helii filium, quem Diodorus V, 57. post caedem fratris Lesbum fugisse refert. Addere poterat Macara Aeoli filium, quem commemorat auctor hymni in Apoll. v. 37. Sed huiusmodi distinctio admitti non potest. Ipsi mythographi de uno tantum Lesbi conditore cogitasse illumque modo Criasio, modo Crinaco, modo Helio, modo Aeolo filium tribuisse videntur. Ego vero nullum Macareum Lesbi imperium unquam tenuisse arbitror, sed omnia quae de eo apud veteres scriptores leguntur pro meris mythographorum commentis habenda esse ratus, quae mea de fabularum illarum origine sententia sit dicam. Monui supra insulas, quas Macareus sub imperio habuisse traditur, Lesbum, Chium, Samum, Con et Rhodum, *Μακάρων* olim appellatas esse. Narrat hanc rem Diodorus (V, 82) *αἱ δὲ νῆσοι διαπνεόμεναι καὶ τὸν ἀέρα παρεχόμεναι τοῖς ἐνοικοῦσιν ὑγιεινόν, ἔτι τοῖς καρποῖς ἐπιτυγχάνουσαι, μᾶλλον εὐπορίας ἔγεμον καὶ ταχὺ τοὺς κατοικοῦντας αὐτὰς μακαρίους ἐποίησαν. Διὸ καὶ Μακάρων ὠνομάσθησαν Νῆσοι, τῆς εὐπορίας τῶν ἀγαθῶν αἰτίας γενομένης τῆς προσηγορίας. Ἔνιοι δέ φασιν αὐτὰς Μακάρων Νήσους ὠνομάσθαι ἀπὸ τῶν Μακαρέως καὶ Ἴωνος παίδων τῶν δυναστευσάντων αὐτῶν.* Idem fere habet Pomponius Mela II, 7. *Extra Hellespontum, earum, quae Asiaticis regionibus adiacent, clarissimae sunt Tenedos, Sigeis adversa littoribus, et quo dicentur ordine, ad promontorium Tauri montis expositae, quas quondam dici putavere Μακάρων; sive quod fortunati admodum caeli solique sunt, sive quod*

---

[26]) Raoul-Rochette. Tom. II, p. 223.

quod eas suo suorumque regno Macar occupaverat. Neutra nominis explicandi ratio ferri potest. Caussa appellationis illius longe alia fuit, qua reperta etiam fabularum de Macare Lesbi conditore origo apparebit. Equidem non dubito, quin Lesbus ceteraeque insulae de quibus dictum est ab incolis *Μακάρων* nomine nuncupatis titulum illum abstulerint. Audacius fortasse hoc pronuntiasse videbor, cum de *Μακάρων* gente apud nullum veterem scriptorem mentio fiat. Attamen sententiam a me propositam defendi posse confido. Insulas Asiae regionibus adiacentes a Caribus olim occupatas esse testatur Herodotus I, 171. *Εἰσὶ δὲ τούτων Κᾶρες μὲν ἀπιγμένοι ἐς τὴν ἤπειρον ἐκ τῶν νήσων· τὸ γὰρ παλαιὸν ἐόντες Μίνω τε κατήκοοι καὶ καλεόμενοι Λέλεγες εἶχον τὰς νήσους.* Samum et Chium a Caribus antiquis temporibus inhabitatas esse diserte indicant Strabo XIV, p. 637. et Pausanias VII, 4. Lesbum et Con eosdem quondam habuisse cultores intelligi potest ex Schol. ad Homer. Il. III, 236. edit. Villois. et ex *Stephano Byzantio.*[27]) Horum scriptorum narrationes cum fabulis supra expositis comparans eo adducor, ut *Μακάρων* populum Lesbum, Chium, Samum, Con et Rhodum olim tenuisse credam. Sic enim statuo, certos insularum illarum cultores, Caribus cognatos, Macarum nomine insignitos esse. Unius eiusdemque stirpis mihi fuisse videntur Cares et Macares quemadmodum *Alani*, *Rhoxalani* (Rhoxolani) et *Rhacalani* (Plin. Hist. Nat. IV, 25. Ptolem. Geograph. III, 5. cf. Tacit. Hist. I, 79.) Macares igitur illi sententia mea occasionem praebuerunt, ut insulae quas commemoravi *Μακάρων νῆσοι* appellarentur. Postero tempore orta mihi videtur opinio, *Beatorum sedes* dictas esse insulas ob soli fecunditatem aërisque salubrem temperiem. Iidem Macares effecisse putandi sunt, ut Lesbus *Macaria* appellaretur, quo nomine Rhodum quoque nuncupatam

---

[27]) S. vv. *Καρία* et *Κῶς*.

esse apud Plinium (H. N. V, 36.) legimus. Ex eadem re lectionem *Μακάρων ἕδος* in Homer. Il. Ω, 544. originem traxisse arbitror.[28]) Scripturam illam immerito vitiosam ab Heynio (Homer. Vol. VIII, p. 711.) appellatam habent MS. Lips. apud Suidam. p. 217. Julian. Oratt. p. 73. D. Plutarch. de exsilio p. 603. D. (Vol. VIII, p. 380 edit. Lips.) Dion. Chrysost. Orat. XXXIII, p. 9. (p. 399. D.)

Nunc unde fabulae de Macareo originem ceperint apparere credo. Nimirum Macares vetustos Lesbi cultores in caussa fuisse opinor, ut Macar heros insula illa potitus esse diceretur.[29]) Nam neque Criasii, neque Crinaci neque Aeoli neque Helii filius unquam Lesbiorum occupavit imperium. Iam intelligitur, quae ab heroe illo gesta et instituta dicuntur ficta esse omnia. Fabula nihilo potior est Diodori Siculi narratio de Ionibus a Macareo Lesbum deductis. Nulli enim coloni ante Heraclidarum reditum ex Peloponneso in insulam eam immigrarunt. Non maiore fide digna esse quae de Macaris familia deque colonis Chium, Samum, Con et Rhodum ab eo missis traduntur, satis superque apparet. Neque ulla refutatione indiget fabula de Lesbo heroe, qui insulae nomen suum indidisse filiamque Macarei Methymnam in matrimonium duxisse fertur.

Non praetereunda mihi narratio de Myrina Amazonum regina, quae urbem in Lesbo ab ipsa expugna-

---

28) Wesselingius contra (ad Diodor. V, 82.) putat, ob illam in Homero lectionem, Lesbum, Chium, Samum, Con et Rhodum *Μακάρων* nominatas esse.

29) Ephorus apud Athen. III, p. 105. D. (p. 136 Marx) Macara non in Lesbo, sed in Chio coloniam constituisse perhibet. *Περὶ δὲ τῶν Καρίδων, ὅτι καὶ πόλις ἦν Καρίδες περὶ Χίον τὴν νῆσον, Ἔφορος ἐν πρώτῃ* (Marx *τρίτῃ*) *ἱστορεῖ, κτίσαι φάσκων αὐτὴν τοὺς διασωθέντας ἐκ τοῦ ἐπὶ Δευκαλίωνος γενομένου κατακλυσμοῦ μετὰ Μάκαρος, καὶ μέχρι νῦν τὸν τόπον καλεῖσθαι Καρίδας.*

ta conditam sororis nomine Mytilenen nuncupasse perhibetur. Etiam alias urbes, verbi caussa Ephesum, Smyrnam, Cymen, ab Amazonibus nomina traxisse aiunt. Conferas de hac re Müllerum in Hist. Gent. Dor. I, p. 390.

Homerus Lesbi saepius meminit. Praeter Il. Ω, 544. vide Odyss. Δ, 341 sqq. ubi Menelaus Telemacho de patre sciscitanti respondens haec effert:

αἲ γάρ, Ζεῦ τε πάτερ καὶ Ἀθηναίη καὶ Ἄπολλον,
τοῖος ἐών, οἷός ποτ' ἐϋκτιμένῃ ἐνὶ Λέσβῳ
ἐξ ἔριδος Φιλομηλείδῃ ἐπάλαισεν ἀναστάς,
κὰδ δ' ἔβαλε κρατερῶς, κεχάροντο δὲ πάντες Ἀχαιοί,
τοῖος ἐὼν μνηστῆρσιν ὁμιλήσειεν Ὀδυσσεύς.

Eustathius ad h. l. ita: Φιλομηλείδην οἱ μὲν τὸν Πάτροκλον ἤκουσαν πατρωνυμικῶς, οἷα Φιλομήλας υἱόν. οἷς οὐ μόνον ἡ γραφὴ ἐναντιοῦται, πῶς γὰρ διὰ διφθόγγου ἔσται ἡ παρατέλευτος; ἀλλὰ καὶ ὁ πατρωνυμικὸς τύπος. οὐ γὰρ εἴωθε σχηματίζειν πατρωνυμίαν ὁ ποιητὴς ἐκ μητέρων, ἀλλ' ἐκ πατέρων. — — — ὅπερ οὖν ἔφαμεν, οὔτε σχηματίζει ὁ ποιητὴς ἐκ μητέρων, καὶ εἴπερ δὲ ἴσως ἐξ ἔριδος παλαίσας Ὀδυσσεὺς κατέβαλε τὸν Πάτροκλον, οὐκ ἂν ἐχάρησαν Ἀχαιοὶ πεσόντος τοῦ Ἐνηέος, ὃς κατὰ τὸν ποιητὴν πᾶσιν ἠπίστατο μείλιχος εἶναι. φασὶν οὖν οἱ ἀκριβέστεροι Λέσβου βασιλέα τὸν Φιλομηλείδην, ὃς τοὺς παριόντας εἰς πάλην προσκαλούμενος ἐποίει τὸ αὐτὸ καὶ εἰς τοὺς Ἀχαιοὺς ἐκεῖ προσορμισθέντας. καὶ ὡς μὲν κατεπαλαίσθη, Ὅμηρος ἐνταῦθα ἱστορεῖ. ἕτεροι δέ φασι, καὶ Ὀδυσσεὺς καὶ Διομήδης δόλῳ ἀνελόντες αὐτὸν καταγώγιον ξένων τὸ αὐτοῦ τάφος ἐποίησαν. προφέρεται δὲ ἡ τούτου παραλήγουσα διὰ διφθόγγου, ἴσως ἀπὸ τοῦ Φιλομηλεύς, ὡς καὶ τὸ Ἀριστείδης κύριον καὶ τὸ Βασιλείδης, ἐκ τοῦ ἀριστεὺς καὶ βασιλεύς.[30]) In eadem Odyssea III, 169. Nestor Tele-

[30]) Schol. antiq. in Odyss. pag. 144. edit. Buttmann. Φιλομηλείδῃ· τῷ Πατρόκλῳ. Φιλομήλας γὰρ ἦν υἱός. Ad eundem versum a diversa manu scriptum est: βασιλεὺς γὰρ ἦν Λέσβου ὁ Φιλομηλείδης.

macho se ab expeditione Troiana redeuntem ad Lesbum appulisse ibique cum Diomede qua via in patriam navigarent deliberasse narrat. Inter regiones ab Achille devastatas reponit Homerus *Λέσβον ἐϋκτιμένην*, Diomeden Phorbantis Lesbiorum regis filiam ex insula ea in Graecorum castra ab Achille abductam esse scribens[31]) Talia posteris poetis ad varias fabulas fingendas ansam praebuerunt. Parthenius,[32]) poetae qui *Λέσβου κτίσιν* composuit narrationem secutus, Achillem Lesbum cum exercitu peragrantem Methymnam pervenisse urbeque illa oppugnanda multum temporis frustra consumpsisse tradit. Tandem, ut ait scriptor ille, Pisidice Methymnaeorum regis filia, Achillis amore capta, urbem ei in potestatem tradidit. Achilles vero, quanquam Pisidicae se ipsam in matrimonium ducturum pollicitus erat, Methymna ditioni suae subiecta, milites lapidibus obruere iussit virginem. Poetae, cuius memini, versus quosdam servavit Parthenius, quorum hosce afferre libet:

Δέκτο μὲν αὐτίκα λαὸν Ἀχαιικὸν ἔνδοθι πάτρης
παρθενική, κληῖδας ὑποχλίσσασα πυλάων.
ἔτλη δ᾽ οἷσιν ἰδέσθαι ἐν ὀφθαλμοῖσι τοκῆας
χαλκῷ ἐληλαμένους, καὶ δούλια δεσμὰ γυναικῶν
ἑλκομένων ἐπὶ νῆας, ὑποσχεσιῃς Ἀχιλλῆος,
ὄφρα νυὸς γλαυκῆς Θέτιδος πέλοι, ὄφρα οἱ εἶεν
πενθεροὶ Αἰακίδαι, Φθίῃ δ᾽ ἐν δώματα ναίοι
ἀνδρὸς ἀριστῆος πινυτὴ δάμαρ· οὐδ᾽ ὅγ᾽ ἔμελλε
τὰ ῥέξειν, ὀλοῷ δ᾽ ἐπαγάσσατο πατρίδος οἴτῳ.
ἔνθ᾽ ἥγ᾽ αἰνότατον γάμον εἴςιδε Πηλείδαο,
Ἀργείων ὑπὸ χερσὶ, δυςάμμορος, οἵ μιν ἔπεφνον
πανσυδίῃ θαμινῇσιν ἀράσσοντες λιθάδεσσιν.

Apud eundem Parthenium c. XXVI. legitur fabula de Trambelo Telamonis filio, qui virginem Lesbiam, cum illa amore ipsius capto obsecundare nollet, in mare

---

[31]) Iliad. IX, 660.
[32]) Erot. c. XXI.

proiecisse, postea vero ab Achille Lesbiis bellum inferente interfectus esse perhibetur. Addit scriptor, Achillem, admiratione virtutis Trambeli affectum magnum ei in litore statuisse tumulum ab illo inde tempore ἡρῷον Τραμβήλου nuncupatum.

Iam omnia quae de antiquis Lesbiorum rebus proferri possunt commemoravimus. Ex universis veterum scriptorum narrationibus id tantum pro certo haberi potest, primos Lesbi cultores fuisse Pelasgos, e Thessalia in insulam eam profectos. His sub belli Troiani fere tempora accesserunt Cares, quibus sententia mea iuncti erant Macares. Octoginta quinque post Troiae casum annis, in Lesbum immigrarunt Pelasgi Tyrrhenorum nomine insigniti et accurate distinguendi a priscis Pelasgis, de quibus antea sermo factus est. Praeclare de gente illa exposuit Müllerus Hist. Orchom. p. 439 sqq. Principalis Tyrrhenorum sedes Boeotia fuit. A Boeotis qui Αἰολεῖς audiebant expulsi Athenas se contulerunt, ubi Πελασγικὸν seu Πελαργικὸν ab iis exstructum est. Mox ab Atheniensibus ex Attica eiecti in Scyrum, Lemnum, Imbrum, Samothracen, Troadem, Lesbum aliosque locos confugerunt. In Lesbum praeter alios Tyrrhenos Metas devenisse Metaumque oppidum ibi constituisse fertur.[33])

Octoginta post bellum Troianum annis gens Dorica, sedibus quas antehac obtinuerat expulsa in Peloponnesum irruptionem fecit, quae res ad totius Graeciae statum prorsus immutandum vim habuit maximam. Ea quoque ut Lesbus novis frequentaretur coloniis in caussa fuit. Achaeorum enim a Doriensibus eiectorum pars, Boeotis aliarumque gentium hominibus mixta, in Lesbo et proxima continente eas constituit colonias, quae Aeolicarum nomine nuncupari solent. De hisce copiosius quam ceteri scriptores exposuit Strabo.[34])

---

[33]) Steph. Byzant. s. v. Μέταον.

[34]) Strab. XIII, p. 582. Cas. p. 154 sqq. Tzsch. Cf. Sturz. ad Hellan. fragment. p. 46. qui tamen Strabonis narrationem

Is coloniam Aeolicam quattuor aetatibus Ionica priorem fuisse dicit. Principem illius deducendae exstitisse refert Orestem, cuius in Arcadia mortui successorem Penthilum in Thraciam usque progressum esse narrat, sexaginta annis post Troiae excidium, quo ipso tempore in Peloponnesum redierint Herculis posteri. Deinde, ut Strabo ait, Archelaus Penthili filius coloniam in eam deduxit regionem, quae posthac Cyzicena dicta est. Gras denique, huius filiorum natu minimus, ad Granicum usque fluvium eodem scriptore teste penetravit et illinc cum maiore copiarum suarum parte Le-[illegible] traiecit. Haec sunt, quae Strabo de coloniae [illegible] migratione memoriae prodidit. Ex hac narratione colligas, Aeolicam coloniam uno et continuo agmine ex Peloponneso in Lesbum deductam esse, quae tamen ratio probari nequit. Ita potius statuendum, singulas Achaeorum catervas deinceps pristina reliquisse domicilia, Doriensibus magis magisque imperium suum propagantibus cedentes. Iam vero totam rem accuratius consideremus.

Ante omnia mihi monendum est, Aeolicas colonias Oreste iam mortuo ex Peloponneso in Asiam profectas esse, licet nonnulli Orestem principem illarum ducem perhibeant.[35]) Neque Penthilus coloniam ex

---

immerito probat. Inter recentiores de coloniis Aeolicis larga verborum copia, sed non satis accurate disputaverunt Meziriac ad Ovidii Heroid. II, p. 370 sqq. Larcherus Chronolog. Herodot. VI, p. 449 sqq. Raoul-Rochettius Hist. de l'etabliss. des col. Grecques, III, p. 36 sqq. Subtiliter rem illam tractavit Müllerus Orchom. p. 398. et 477. quem a me saepius in consilium adhibitum esse animadvertet lector.

35) Coloniae ab Oreste in Aeolidem deductae mentionem facit Pindarus Nem. XI, v. 34 edit. Boeckh. *Συμβαλεῖν μὰν εὐμαρὲς ἦν τό τε Πεισάνδρου πάλαι Αἷμ' ἀπὸ Σπάρτας· Ἀμύκλαθεν γὰρ ἔβα σὺν Ὀρέστᾳ, Αἰολέων στρατιὰν χαλκεντέα δεῦρ'* (*εἰς τὴν Τένεδον*) *ἀνάγων· Καὶ παρ' Ἰσμηνοῦ ῥοᾶν κεκραμένον Ἐκ Μελανίπποιο μάτρωος.* Schol. ad h. l. *ἐκ δὲ τῆς Ἀρισταγόρου* (quem Tenedo oriundum carmine illo celebrat Pindarus) *ἀρε-*

Peloponneso in Lesbum duxisse putandus est. Diserte quidem insulam ab eo occupatam esse narrat Pausanias (III, 2, 1.) συνήραντο δὲ (οἱ Λακεδαιμόνιοι) καὶ Γραΐδι, τῷ Ἐχέλατου τοῦ Πενθίλου τοῦ Ὀρέστου, στελλομένῳ ναυσὶν ἐς ἀποικίαν. καὶ ὁ μὲν τὴν τῆς Ἰωνίας μεταξὺ καὶ Μυσῶν, καλουμένην δὲ Αἰολίδα ἐφ' ἡμῶν καθέξειν ἔμελλεν· ὁ δέ οἱ πρόγονος Πενθίλος Λέσβον, τὴν ὑπὲρ τῆς ἠπείρου ταύτης νῆσον, εἷλεν ἔτι πρότερον, sed omnino in eorum sententiam discedendum est, qui non Penthilum ipsum, sed posteros eius cum prima colonia Aeolica Lesbum pervenisse autumant.[36]) Penthilidae ex Peloponneso in Boeotiam se conferebant, ubi coloniae illi Boeotorum tam multi se adiunxerunt, ut etiam Boeotica appellaretur.[37]) Nonnulli inter veteres colo-

τῆς εὔμαρές ἦν διαγνῶναι συμβαλόντας, ὅτι τοῦ Λακωνικοῦ Πεισάνδρου ἀπόγονος ἦν, τοῦ ποτὲ σὺν τῷ Ὀρέστῃ ἀποικίαν ἀπὸ τῆς Λακεδαίμονος εἰς Λέσβον στειλαμένου τὸ τῶν Αἰολέων γένος. — — — — περὶ δὲ τῆς Ὀρέστου εἰς τὴν Αἰολίδα ἀποικίας Ἑλλάνικος ἐν τῷ πρώτῳ περὶ Αἰολικῶν ἱστόρηκεν. Tzetzes ad Lycophr. 1374. (Vol. II, p. 1017. Müller.) Orestem Lesbum occupasse scribit, auctore usus Hellanico Lesbio, sed morte abreptum urbem in insula ea constituere non potuisse. Scriptores illi in Orestem contulerunt, quod ab eius posteris factum esse recte tradit Velleius Paterculus I, 3.

[36]) Vide Müller. Hist. gent. Dor. I, p. 65. qui recte monet Penthilum, si ipse in Asiam traiecisset, progeniem in Peloponneso non relicturum fuisse. Agorii Penthilidarum unius ab Oxylo ex Achaia in Elidem deducti meminit Pausanias V, 4, 2. VII, 6, 2.

[37]) Strabo lib. IX, p. 402. D. Cas. p. 396. Tzsch. Hinc quoque factum est, ut inter Lesbios et Boeotos perpetua constaret συγγένεια. Thucydid. VIII, 100. Μηθυμναίων γὰρ οὐχ οἱ ἀδυνατώτατοι φυγάδες — — — — Ἀναξάρχου Θηβαίου κατὰ τὸ ξυγγενὲς ἡγουμένου, προσέβαλον πρώτῃ Μηθύμνῃ. Cf. Thucydid. III, 2. VII, 57. Magnam Boeotiae partem eo tempore tenuerunt Thraces, quo spectat narratio de colonia Aeolica in Thraciam deducta. Strabo quidem lib. XIII, p. 582. B. Cas. Penthilidarum colonos in Thraciam Macedonicam usque pervenisse tradit; sed de Boeotia cogitandum esse manifesto comprobant ea, quae idem Strabo lib. IX. p. 401. C. scribit. Cf. Müller. Orchom. p. 386.

nisse ob hanc ipsam caussam Aeolicae nomen impositum esse arbitrabantur.[38]) Nam Boeoti cum Achaeis Lesbum profecti. *Αἰολεῖς* audiebant.[39]) Alii, quorum sententiae equidem calculum adiecerim, colonias illas Aeolicarum nomine appellatas esse censent *διὰ τὸ ἐκ πολλῶν ἐθνῶν συνηθροῖσθαι.*[40]) Aulide Boeotica[41]) in Euboeam traiecerunt Penthilidae et colonorum parte ibi relicta[42]) Lesbum navigarunt, anno nonagesimo quinto post excidium Troiae. De colonia illa Velleius Paterculus (I, 3.) haec scripsit: '*exclusi ab Heraclidis Orestis liberi iactatique, cum variis casibus, tum saevitia maris, quintodecimo anno sedem cepere circa Lesbum*[43]) *insulam.* — Sequitur colonia ab Archelao, uno ex filiis Penthili, in regionem Cyzicenam centesimo-decimo quinto post bellum Troianum anno (ut suspicatur Müllerus) deducta. Deinde Gras Archelai filius in oram continentis Lesbo vicinae cum colonis profectus est indeque, Myrina urbe annis centum et undetriginta post Troiae excidium condita, Lesbum traiecit. Gran in insula ea, quam Orestes centum annis ante occupaverit, urbem constituisse narrat Hellanicus Lesbius.[44]) Huc pertinent verba illius, qui libellum de Homeri vita composuit: *ἀπὸ τῆς εἰς Ἴλιον στρα-*

---

[38]) Etymolog. Mag. s. v. *Αἰολεῖς.*

[39]) Thucydid. I, 12. Diodor. IV, 76. Strab. IX, p. 401 sq. edit. Cas. p. 390 sqq. edit. Tzsch. Paus. X, 8, 3. Cf. Müller. Aeginet. p. 31. Orchom. p. 391.

[40]) Etymolog. Mag. s. v. *Αἰολεῖς.*

[41]) Strab. IX, p. 401. Cas. p. 391. Tzsch.

[42]) Strab. X, p. 447. A. edit. Cas. p. 23. edit. Tzsch.

[43]) *Lesbum, id est Lesbum et circumiacentes insulas occupavere. 'Lesbum autem nominat Velleius, quia notissima. Neque video, cur hic magnopere obhaereat Lipsius.* **Vossius.** Praeter Lesbum nempe Tenedus et Hecatonnesi insulae Penthilidarum colonis frequentatae sunt. Tenedios pariter atque Lesbios Boeotis cognatos fuisse comprobari potest ex Thucyd. VII, 57.

[44]) Vide Schol. ad Lycophr. v. 1374.

τείας, ἣν Ἀγαμέμνων καὶ Μενέλαος ἤγειραν, ἔτεσιν ὕστερον ἑκατὸν καὶ τριάκοντα Λέσβος ᾠκίσθη κατὰ πόλεις, πρότερον ἐοῦσα ἄπολις.[45]) Hisce scriptoribus addi potest Velleius Paterculus, qui (I, 4.) *mox Aeolii*, inquit, *eadem profecti Graecia longissimisque acti erroribus non minus illustres obtinuerunt locos* (quam Iones scil.), *clarasque urbes condiderunt, Smyrnam, Cymen, Larissam, Myrinam Mitylenenque et alias, quae sunt in Lesbo insula.* Animadvertendum tamen scriptorem in hoc loco de duabus loqui coloniis, de ea, cuius dux Gras fuit et de illa, quae Cleva Malaoque ducibus e Graecia in Asiam profecta est. Addere libet fabulam, quam ex *Νόστοις* Anticlidis desumptam servavit Athenaeus lib. XI, p. 466. C. *Ἀντικλείδης ὁ Ἀθηναῖος ἐν τῷ ἑκκαιδεκάτῳ Νόστων περὶ Γρᾶ διηγούμενος, τοῦ τὴν ἀποικίαν εἰς Λέσβον στείλαντος σὺν ἄλλοις βασιλεῦσι, καὶ ὅτι χρησμὸς ἦν αὐτοῖς δηλώσας καταθεῖναι διαπλέοντας τῷ Ποσειδῶνι εἰς τὸ πέλαγος παρθένον, γράφει καὶ ταῦτα· Μυθολογοῦσι δὲ περὶ τῶν ἐν Μεθύμνῃ τινὲς περὶ τῆς ἀφεθείσης εἰς τὴν θάλασσαν παρθένου καί φασιν ἐρασθέντα αὐτῆς τῶν ἡγεμόνων τινά, ᾧ ἦν τοὔνομα Ἔναλος, ἐκκολυμβῆσαι, βουλόμενον ἀνασῶσαι τὴν παιδίσκην. τότε μὲν οὖν ὑπὸ κύματος αὐτοὺς ἀμφοτέρους κρυφθέντας ἀφανεῖς γενέσθαι, χρόνῳ δ' ὕστερον, ἤδη τῆς Μεθύμνης οἰκουμένης, παραγενέσθαι τὸν Ἔναλον καὶ διηγεῖσθαι τὸν τρόπον, καὶ ὅτι ἡ μὲν παρθένος παρὰ ταῖς Νηρηΐσι διέτριβεν, αὐτὸς δὲ τὰς τοῦ Ποσειδῶνος ἔβοσκεν ἵππους· καί ποτε καὶ κύματος ἐπιφερομένου μεγάλου συγκολυμβήσαντα αὐτὸν ἐκβῆναι, ἔχοντα κύπελλον χρυσοῦ οὕτω θαυμασίου, ὡς τὸν παρ' αὐτοῖς, αὐτῷ παραβαλλόμενον, οὐδὲν διάφορον εἶναι χαλκοῦ.*[46])

---

45) Hom. vit. c. 38. Ex Ephoro illa repetita esse statuit Müll. l. l. p. 477.

46) Paullo aliter fabulam illam narrat Myrsilus Lesbius in Plutarchi de solertia animalium libro, c. 36. ubi *Πενθιλιδῶν* pro *Πενθίδων* legendum esse recte monuit Meziriac ad Ovidii

Quartae ultimaeque coloniarum Aeolicarum duces fuerunt Malaus et Clevas, ipsi quoque ab Agamemnone oriundi. Illi secundum Strabonem eadem qua Penthilus tempestate compararunt exercitum multumque temporis in Locride et ad Phricium montem commorati in Asiam traiecerunt ibique centum et quinquaginta post Troiam captam annis Cymen urbem a Locridis monte Phriconidem appellatam constituerunt.[47]) Hac ratione Lesbum et oram continentis vicinae occupaverunt Aeolum coloni. Antiquissimae illorum urbes in continente fuerunt Cyme, Larissa, Neotichos, Temnus, Cilla, Notium, Aegiroessa, Pitane, Aegaeae, Myrina, Grynea, Smyrna, narrante Herodoto, qui Smyrnam ab Ionibus postero tempore occupatam esse scribit.[48]) Ab his undecim urbibus societatis vinculo inter se coniunctis secretae erant triginta fere urbes,

Heroid. Vol. II, p. 373. Plutarchus eandem rem (in conviv. sept. sapient. c. 20.) commemorans virginem illam in mare proiectam Sminthei filiam fuisse dicit, qui una cum Echelao et sex aliis in Lesbum colonos deduxerit. Videlicet scriptorem de eadem loqui colonia, quam Anticlide referente *Γρᾶς σὺν ἄλλοις βασιλεῦσιν εἰς Λέσβον ἔστειλεν*. Narratio de regibus illis, qui Graidi cum colonia in Lesbum proficiscenti comites fuisse dicuntur aperte ficta est. Meziriac ad Ovidii Heroid. II. p. 370 Echelaum a Plutarcho commemoratum pro Penthili filio habet, qui Straboni (XIII, p. 255. edit. Tzsch.) *Archelaus*, Pausaniae (III, 2, 1.) *Echelatus* dicitur. Idem in loco Strabonis pro *Ἀρχέλαον* aut *Ἐχέλατον* aut *Ἐχέλαον* reponi iubet. In eodem nomine *Ἀρχέλαος* haeserunt Palmerius in exercitt. in Gr. auctor. p. 340. et Marsham in Can. Chron. saec. 13. p. 359. Retinenda tamen vulgata lectio, cum pro ea constanter pugnent codices. Cf. Tzsch. ad h. l. Ceterum non dubito, quin Archelaus seu Echelatus in Cyzicum e Graecia profectus occasionem dederit fabulatoribus, ut Echelaum cum colonia in Lesbum pervenisse pronuntiarent.

[47]) Strab. XIII, p. 582. D. edit. Cas. p. 256. edit. Tzsch. Cf. p. 621. B. edit. Cas. p. 444. edit. Tzsch. Vita Hom. c. 38.

[48]) Herodot. I, 149.

circa Idam montem sitae maximaque ex parte a Cymaeis Lesbiisque conditae.[49]) Principes Lesbi insulae civitates fuerunt Mytilene, Methymna, Antissa, Eresus, Pyrrha, ab omnibus fere historiae et rerum geographicarum scriptoribus commemoratae. De illis etiam Herodotus loqui putandus est, qui civitates quinque Lesbo assignat, sextam Arisbam a Methymnaeis in servitutem redactam esse narrans.[50]) Solum illius civitatis Strabonis adhuc tempore tenuerunt Methymnaei.[51]) Quae praeterea memorantur Lesbiorum urbes, earum aliae mature interierunt, aliae admodum parvi fuerunt momenti earumque quas antea enumeravi potestati subiectae. Mentio iniicitur a nonnullis scriptoribus urbis, eodem quo insula nomine appellatae[52]) nec non alius, cui nomen fuerit Issa.[53]) Urbes illae antiquissimis temporibus ab Aeolum colonis in Lesbo constitutae moxque obiisse videntur. Idem valet de Penthile (Πενθίλη) civitate nec non de Xantho urbe, quarum meminit Stephanus Byzantius.[54]) Nape ἐν τῷ Μηθύμνης πεδίῳ narrante Strabone[55]) sita haud dubie in Methymnaeorum fuit ditione. De Hiera urbe et de Hyperdexio, Aegiro aliisque huiusmodi pagis in descriptione insulae satis a nobis dictum est.

Ex insula sua in vicinam continentem mature traiecerunt Lesbii ibique multas occupaverunt urbes novasque condiderunt. Σχεδὸν μητρόπολις ἡ Λέσβος ὑπάρχει τῶν Αἰολικῶν πόλεων, ait Strabo lib. XIII, p. 616.

---

49) Strab. XIII, p. 622. edit. Cas. p. 450. Tzsch.

50) Herodot. I, 151.

51) Strab. XIII, p. 590. B. edit. Cas. p. 295. edit. Tzsch.

52) Eustath. ad Homer. Il. p. 741. ad Odyss. p. 1462. in D. P. v. 537. Hesych. s. v. Λέσβος. Cf. Wesseling. ad Diodor. XVII, 29.

53) Eustath. ad Homer. Il. p. 741. ad Odyss. 1462. in D. P. v. 537. Steph. Byz. s. v. Ἴσσα.

54) Steph. Byz. s. vv. Πενθίλη et Ξάνθος.

55) Lib. IX, p. 426. C. edit. Cas. p. 554. edit. Tzsch.

rem illam repetens p. 622, ubi haec legimus: σχεδὸν μητρόπολις αὕτη (Κύμη) τε καὶ ἡ Λέσβος τῶν ἄλλων πόλεων περὶ τριάκοντά που τὸν ἀριθμόν. Totam fere Troadem olim sibi vindicasse Lesbios idem scriptor narrat. Sigeum antiquum Troadis oppidum, quod posterioribus temporibus variorum bellorum Athenienses inter et Mytilenaeos gestorum caussa exstitit, ab Archaeanacte Mytilenaeo ex Iliacis lapidibus refectum esse traditur.[56]) In eius vicinia situm erat Achilleum, quod Periandrum, Pittaco Mytilenaeisque in bello opitulantem ex Ilii lapidibus substruxisse narraverat Timaeus, mendacii a Demetrio Scepsio accusatus, qui neque a Periandro neque e tali lapide, sed a Mytilenaeis oppidum illud conditum esse perhibet.[57]) Adsentit ei Plinius Hist. Nat. V, 33. *Fuit et Achilleon oppidum, iuxta tumulum Achillis conditum a Mytilenaeis et mox Atheniensibus, ubi classis eius steterat in Sigeo.* Solinus Plinio non satis intellecto: *In Rhoeteo littore,* ait, (Polyhist. p. 70 E.) *Athenienses et Mytilenaei ad tumulum ducis Thessali Achillion oppidum condiderunt.* Solinum prava loci Pliniani interpunctione deceptum Achilleum oppidum, quod in Sigeo litore situm erat, in Rhoeteo collocasse, animadvertit Salmasius in Exercitt. Plinian. p. 769. E. Idem recte observat, non a Mytilenaeis et Atheniensibus oppidum illud conditum, sed a Mytilenaeis primo exstructum, ab Atheniensibus posthac instauratum esse. Athenienses nempe in bello Peloponnesiaco praeter alia Mysiae et Troadis oppida Achilleum Mytilenaeis eripuerunt. Vide Thucydidem III, c. 50. IV, 52. et Strabonem lib. XIII, p. 600. Herodoti locus [58]) quem in animo habuit Salmasius huc non pertinet. Nihil enim narrat scriptor ille praeter quam Mytilenaeos ex Achilleo ca-

56) Strabo XIII, p. 599. Cas. p. 340. Tzsch.
57) Strabo XIII, p. 600. B. Cas. p. 343. Tzsch.
58) Herodot. V, 94.

stello in Sigeum ab Atheniensibus occupatum irruptiones fecisse. Arisbam Percoten inter et Abydum sitam falso Mytilenaeorum coloniam perhibet Stephanus Byzantius.[59]) Urbs illa, coloniis Aeolicis multo antiquior, a Mytilenaeis non condita, sed cum aliis agri Troiani urbibus occupata est. Multas quoque Mysiae urbes tenuerunt Mytilenaei, quae *Ἀκταίων πόλεων*[60]) nomine appellatae quinto belli Peloponnesiaci anno in Atheniensium pervenere potestatem. Inter illas referendae sunt Assus, quam Alexander Cornelius[61]) a Mytilenaeis, Myrsilus Lesbius[62]) a Methymnaeis conditam esse dicit, Antandrus aliaeque. De campi Thebani possessione valde inter se certasse Lesbios ceterosque Aeoles auctor est Strabo lib. XIII, p. 612. *ἀμφότεραι δ' ἦσαν ἐν τῷ κληθέντι μετὰ ταῦτα Θήβης πεδίῳ, ὃ διὰ τὴν ἀρετὴν περιμάχητον γενέσθαι φασὶ Μυσοῖς μὲν καὶ Λυδοῖς τοῖς πρότερον, τοῖς δ' Ἕλλησιν ὕστερον τοῖς ἐποικήσασιν ἐκ τῆς Αἰολίδος καὶ τῆς Λέσβου.* In Thracia Aenum urbem a Mytilenaeis conditam esse testatur Scymnus Chius, v. 695.

Μετὰ τὴν Μαρώνειαν δὲ κεῖτ' Αἶνος πόλις,
Ἔχουσ' ἐποίκους ἐκ Μιτυλήνης Αἰολεῖς.[63])

Plurimae harum terrarum urbiumque in bello Peloponnesiaco ab Atheniensibus occupatae sunt. Strabonis tempore nihil fere Mytilenaeis in continente reliqui fuit praeter parvam orae Mysiae partem Cisthenen inter et agrum Atarnensem. Siti erant in illa pagi nonnulli, Coryphantis, Heraclea et Attea.[64])

---

[59]) Steph. Byz. v. *Ἀρίσβη*. Eustath. ad Homer. Il. *Z*, v. 13. et M. p. 894.

[60]) Thucyd. IV, 52.

[61]) Steph. Byzant. s. v. *Ἄσσος*.

[62]) Strab. XIII, p. 610. D. Cas. p. 393. Tzsch.

[63]) Hinc fortasse intelligi poterit cur Heli Mytilenaei pater (apud Antiphont. de caed. Herod.) Aeni commoretur ipseque Helus Lesbo in oppidum illud nave proficiscatur.

[64]) Strab. XIII, p. 605. C. Cas. p. 368. Tzsch. p. 607. A. Cas. p. 376. Tzsch. Scylax p. 36. Huds. Plin. Hist. Nat. V, 30.

Antiquissima civitatum Lesbiarum historia plane ignoratur. Verisimile est illas pariter atque ceteras Graeciae civitates regibus tempore vetustissimo paruisse. A veteribus illis Lesbiorum regibus originem traxerunt Penthilidae Mytilenaei, quos per urbem incedentes civesque ipsis obviam factos clavis percutientes a Megaele eiusque amicis occisos esse tradit Aristoteles. Eodem scriptore teste Penthilum Smerdis quidam iniuria sibi illata exacerbatus interfecit.[65] Olympiade quadragesima secunda Melanchrus Mytilenaeorum tyrannus a Pittaco et Alcaei poetae fratribus, quorum alter Cicis,[66] alter Antimenides[67]) appellabatur, occisus est.[68] Nec vero Mytilenaeis ut in otio libertate fruerentur statim contigit. Mox enim aliis summum imperium sibi vindicantibus maximae turbae in civitate exortae sunt, de quibus rebus perpauca cognita habemus. Nam nihil fere nobis traditum est praeter quam Myrsilum, Megalagyrum, Cleanactidas aliosque Mytilenes tyrannide potitos ab Alcaeo poeta multis gravibusque convitiis et contumeliis laceratos esse[69] Neque plura de aesymnetia sive dictatura Pittaco ob bellum civile ab Alcaeo commotum a Mytilenaeis demandata accepimus. Chr. Dav. Iani in vita Alcaei enarranda[70] de rebus illis in hunc modum exposuit: *Varia ille* (Alcaeus) *adversus tyrannos fortuna usus, nunc hos ut urbe excederent compulit, nunc ipse ab iis eiectus est. At eorum neminem magis implacabili odio persecutus est, quam postremum Pittacum. Cuius rei hic ipse culpam sustinuit. Cum enim,*

---

[65]) Arist. Polit. V, 8, 13. Schneid.

[66]) Suidas. s. v. *Κίκις*.

[67]) Strab. XIII, p. 617. C. Cas. p. 427. Tzsch.

[68]) Diog. Laert. Pitt. 74. Suidas s. v. *Πιττακός*. Eudocia Violar. p. 362.

[69]) Strab. XIII, p. 617. D. Cas. p. 429. edit. Tzsch.

[70]) Vide illius commentt. de Alcaeo, quae Halae 1780 — 1782. primo editae 1810 denuo typis descriptae sunt, p. 42 sqq.

ut est ab Aristotele memoriae proditum, Alcaeus cum fratre Antimenide exercitui Lesbiorum dux praeesset cumque nonnulli, odio haud dubie commoti, retulissent sese elatius gerere maioresque appetere res; eu, subito, re incognita, auctore inprimis Pittaco imperio se abdicare iubetur summaque rerum eidem Pittaco traditur. Quam rem iniquo animo ferens Alcaeus, cum praeterea audisset, tyrannidem a civibus oblatam Pittacum esse adeptum, non dubitavit, quin ab isto, civitatis opprimendae cupido, ita essent omnia sapienter instituta atque machinata, ut quoscumque suis adversari intelligeret consiliis, e civitate tollerentur. Quare gravissimo in illum odio accensus, non solum gravissimis eum maledictis et conviliis laceravit et perpetuas cum eo gessit inimicitias, sed armis etiam instituit illatam sibi et patriae vindicare iniuriam. At praeter opinionem hostis iudicatur et in exsilium eiicitur cum multis aliis. Proin dux proscriptorum factus bellum ingratae patriae intulit. — Nullum ego novi veterem scriptorem, qui res ita narraverit. Strabone (lib. XIII, p. 617.) teste ne ipse quidem Alcaeus, acerrimus ille tyrannorum castigator, rerum novandarum studii purus fuit. Aristoteles Polit. III, 9, 5. 6. edit. Schneider. haec habet: *Δύο μὲν οὖν εἴδη ταῦτα μοναρχίας. Ἕτερον δὲ, ὅπερ ἦν. ἐν τοῖς ἀρχαίοις Ἕλλησιν, οὓς καλοῦσιν αἰσυμνήτας. ἔστι δὲ τοῦθ᾽ ὡς ἁπλῶς εἰπεῖν αἱρετὴ τυραννὶς, διαφέρουσα δὲ τῆς βαρβαρικῆς οὐ τῷ μὴ κατὰ νόμον, ἀλλὰ τῷ μὴ πάτριος εἶναι μόνον. Ἦρχον δὲ οἱ μὲν διὰ βίου τὴν ἀρχὴν ταύτην, οἱ δὲ μέχρι τινῶν ὡρισμένων χρόνων ἢ πράξεων. οἷον εἵλοντό ποτε Μιτυληναῖοι Πιττακὸν πρὸς τοὺς φυγάδας, ὧν προειστήκεσαν Ἀντιμενίδης καὶ Ἀλκαῖος ὁ ποιητής. Δηλοῖ δ᾽ Ἀλκαῖος, ὅτι τύραννον εἵλοντο τὸν Πιττακὸν ἔν τινι τῶν σκολίων μελῶν. ἐπιτιμᾷ γὰρ ὅτι τὸν κακοπατρίδα Πιττακὸν πόλεως τᾶς ἀχόλω καὶ βαρυδαίμονος ἐστάσαντο τύραννον, μέγ᾽ ἐπαινέοντες ἀολλέες.* Eadem fere leguntur apud Dionysium Halicarnasseum Antiq. Rom. V, 73.

p. 1022 sq. edit. Reisk. *Οἱ Αἰσυμνῆται καλούμενοι παρ' Ἕλλησι τὸ ἀρχαῖον, ὡς ἐν τοῖς περὶ βασιλείας ἱστορεῖ Θεόφραστος, αἱρετοί τινες ἦσαν τύραννοι· ᾑροῦντο δ' αὐτοὺς αἱ πόλεις, οὔτ' εἰς ἀόριστον χρόνον, οὔτε συνεχῶς, ἀλλὰ πρὸς τοὺς καιροὺς ὁπότε δόξειε συμφέρειν καὶ εἰς πόσον χρόνον· ὥσπερ καὶ Μιτυληναῖοί ποτε εἵλοντο Πιττακὸν πρὸς τοὺς φυγάδας, τοὺς περὶ Ἀλκαῖον τὸν ποιητήν.* Addi potest Plutarchus in Amator. c. 18. p. 45. edit. Hutten. *κοινῇ τὸν Ἔρωτα συνεγγράφουσιν εἰς θεοὺς ποιητῶν οἱ κράτιστοι καὶ νομοθετῶν καὶ φιλοσοφῶν ἀθρόαι φωναὶ, μέγα ἐπαινέοντες, ὥσπερ ἔφη τὸν Πιττακὸν ὁ Ἀλκαῖος αἱρεῖσθαι τοὺς Μιτυληναίους τύραννον.*[71]) Hisce locis inter se comparatis suspicor Alcaeum rerum novandarum crimine accusatum in exsilium missum esse indeque reversum patriam bello invasisse. Tum Mytilenaei Pittaco tyrannidem detulerunt, ut ex Aristotele et Dionysio quos modo citavi apparet. Huc Strabonis quoque verba referenda esse autumo, qui lib. XIII, p. 617. D. *Πιττακὸς*, ait, *εἰς μὲν τὴν τῶν δυναστειῶν κατάλυσιν ἐχρήσατο τῇ μοναρχίᾳ καὶ αὐτός· καταλύσας δὲ ἀπέδωκε τὴν αὐτονομίαν τῇ πόλει.* Quanquam Alcaei exsilio affecti non meminit Strabo, tamen Aristotelis et Dionysii locos considerans non dubito, quin de Alcaeo et Antimenide ceterisque exsulibus a Pittaco tyrannidem adepto devictis geographi verba accipienda sint. Nec quamdiu Pittacus tyrannidem obtinuerit, nec quonam tempore illam deposuerit certo definiri potest. Valerius Maximus VI, 5, 1. ext. *Pittacus*

[71]) Xylander tanquam si *οὐχ ὥσπερ* legatur locum ita transfert: *eumque* (Amorem) *unanimi in deorum numero ponunt poetarum, philosophorum legislatorumque maximi confertim collaudantes et prolixe. Pittacum quidem Alcaeus negat a Mytilenaeis consensu creatum tyrannum.* Interpretatio ista fraudi fuit Menagio, qui verborum Graecorum ratione nulla habita ad Diog. Laert. I, 75. haec scripsit: *Alcaeus apud Plutarchum in Amatorio negat Mytilenaeos Pittaco tyrannidem ultro detulisse.*

cus Mytilenaeus, inquit, *cuius aut meritis tantum cives debuerunt, aut moribus crediderunt, ut suis ei suffragiis tyrannidem deferrent, tamdiu illud imperium sustinuit, quamdiu bellum de Sigeo cum Atheniensibus gerendum fuit. Postquam autem pax victoria parta est, continuo reclamantibus Mitylenaeis deposuit, ne dominus civium ultra, quam reipublicae necessitas exegerat, permaneret.* Bellum, cuius meminit scriptor, Ol. XLIII. inter Athenienses Mytilenaeosque gestum est. Minime vero probari potest Valerii narratio. Diserte enim Aristoteles et Theophrastus, quibus maiorem quam Valerio in hac re fidem deberi nemo negaverit, Pittaco propter exsulum in patriam invasionem a Mytilenaeis tyrannidem delatam esse referunt, nulla plane belli Sigeensis mentione facta. Apparet in gravem errorem implicatum esse Valerium, aesymnetiam Pittaci cum imperio, quod ille in bello a Mytilenaeis adversus Athenienses gesto tenuit, confundentem. Diog. Laert. in vita Pitt. c. 75. *τότε δ' οὖν τὸν Πιττακὸν ἰσχυρῶς ἐτίμησαν οἱ Μιτυληναῖοι καὶ τὴν ἀρχὴν ἐνεχείρησαν (ἐνεχείρισαν) αὐτῷ.. ὁ δὲ δέκα ἔτη κατασχὼν καὶ εἰς τάξιν ἀγαγὼν τὸ πολίτευμα, κατέθετο τὴν ἀρχὴν καὶ δέκα ἐπεβίω ἄλλα.* Quae de civitate a Pittaco ordinata scripsit redargui opinor laudatis a me Aristotelis et Dionysii verbis. Neque scriptori Pittacum per decem annos tyrannidem sustinuisse affirmanti fidem habere possum; neutiquam enim bellum adversus exsules gestum tamdiu durasse mihi credibile videtur. Recentiores tamen illis, quae Diogenes hoc alioque loco narrat,[72]) freti tempus tyrannidis Pittaco delatae accuratius constituere conati sunt. Corsinus in Fast. Att. Vol. III, p. 81. tyrannidis initium ad annum tertium Olympiadis quadragesimae septimae refert. Hunc sequitur Larcherus in Chronolog. Herodot. VI,

[72]) Vide vit. Pitt. 79. ubi Pittacus Ol. LII, 3, Aristomene Archonte obiisse narratur.

p. 564. 565, qui Pittacum tyrannide Ol. XLVII, 3 suscepta Olympiadis quinquagesimae anno primo se abdicasse statuit. Mihi vero haec parum firma videntur. Non dubito quidem, quin Diogenes mortem Pittaci anno tertio Olymp. LII. recte assignaverit; [73]) sed reliqua ab auctore illo prolata secundum meam sententiam nimis incerta sunt, quam ut ex iis quo tempore Pittacus tyrannidem susceperit et quando illam deposuerit erui possit. Quae cum ita sint, equidem aesymnetiam Pittaci bellumque cum exsulibus a Mytilenaeis gestum inter Olymp. XLVI et XLVIII collocasse satis habeo.

Bellum Sigeense, cuius saepius meminimus, ad Olymp. XLIX. retulit Larcherus Valerii Maximi et et Diogenis narrationes secutus, repugnante Eusebio, qui illud Ol. XLIII. gestum esse testatur. Neque temporum ratio admittit Larcheri sententiam. Cum enim Periander Corinthiorum rex, qui Herodoto et Strabone testibus Athenienses atque Mytilenaeos reconciliavit, iam Ol. XLVIII, ut ex veterum testimoniis [74])

---

[73]) Larcherus in Chronolog. Herodot. sub Olymp. LVII, 1. habet: *Pittacum centum annos vixisse, Macrob. 18. asserit Lucianus. Hunc si sequamur neque Suidae assensum cohibeamus, qui Pittacum Olympiadis trigesimae secundae anno primo natum esse dicit, huius mors ad Ol. LVII, 1. nobis referenda erit.* Magnopere erravit vir doctus. *Γέγονε*, quo verbo utitur Suidas, numquam significat: *natus est*, sed semper, quantum equidem scio, *vixit, floruit.* Minime igitur ita statuit Suidas, Pittacum natum esse Olymp. XXXII. 1. Neque mors Pittaci ullo modo ad Olymp. LVII, 1. referri potest, sed amplectenda Diogenis Laertii narratio, quam ex vetere quodam scriptore haustam esse patet. Larcherus, cum dubitaret an Pittacus Olymp. LVII, 1. diem supremum obierit, sententiam suam de tempore tyrannidis Pittaco demandatae, quam opinionem parum probabilem esse nobis persuasum habemus, ipse convulsit.

[74]) Suscepit Periander imperium teste Eusebio Olymp. XXXVIII, 1. Annos quadraginta quattuor illum regnasse, tradit Aristoteles Polit. V, 9, 22. Obiit igitur Ol. XLVIII, 4.

apparet, mortuus sit, bellum Sigeense in illud tempus, quo a Larchero collocatur, transferri non potest. Periandrum ad secundum usque Olymp. LIV annum vixisse, propter locum Herodoti male intellectum sibi persuasit Larcherus, qua de re mox plura dicemus. Caussa belli illius exstitit Sigeum agri Troiani oppidum. Athenienses nempe nihilo magis ad Aeoles Troadis pertinere possessionem quam ad se et alios, qui Atridis in bello Troiano opem tulerint, perhibentes, Phrynone Olympico victore cum exercitu misso, oppidum illud Mytilenaeis eripuerunt.[75]) Mytilenaei vero ex Achilleo castello in vicinia sito crebras in Sigeum fecerunt incursiones. Sic per longum tempus ab utraque parte pugnatum est.[76]) Etiam Alcaeus poeta in bello illo stipendia meruit, quanquam haud secunda fortuna usus. Victis enim pugna Mytilenaeis inque fugam conversis, ipse quoque terga dare coactus est, abiecto clypeo, quem in fano Minervae quod Sigei erat suspenderunt Athenienses.[77]) Mox Pittacus Mytilenaeorum imperator a Phrynone ad certamen singulare provocatus, illum rete piscatorio, quod sub clypeo absconditum tenuerat, implicatum tridente ac pugione confodit.[78]) Bellum ne sic quidem finitum posthac Periander Corinthiorum rex ab utraque parte arbiter

---

Vide Diog. Laert. vit. Periandri sect. 95. Cf. Müller. in Aegineticorum libro p. 66.

[75]) Strab. lib. XIII, p. 599. D. Cas. p 340. Tzsch.

[76]) Herodot. V, 94. 95.

[77]) Strab. lib. XIII, p. 600. A. Cas. p. 341. Tzsch. Herodot. l. l.

[78]) Strab. XIII, p. 600. A. Cas. p. 342. Tzsch. Diog. Laert. vit. Pitt. sect. 74. Schol. ad Aeschyli Eumenid. 336. Festus s. v. *retiarius*. Suidas s. v. *Πιττακός*. Polyaen. strat. I, 25. Cf. Plutarch. de malign. Herodoti c. 15. qui fraudem Pittaci *μέγιστον τῶν πεπραγμένων τῷ ἀνδρὶ καὶ κάλλιστον ἐν ταῖς πράξεσι γενόμενον* appellans in Herodotum ob illam praetermissam graviter invehitur.

sumptus ita diremit, ut Sigeum in Atheniensium maneret potestate. Sic rem exponunt Herodotus et Strabo. Herodotus tamen subobscure loquitur, quem nonnulli non satis intelligentes in varios errores implicati sunt. Nimirum bellum modo commemoratum ab alio inter Mytilenaeos et Hegesistratum posteris temporibus gesto, accurate secernendum est. Ambo bella in unum confudit Bouhierius Gallus.[79] Sed recte animadvertit Valckenarius p. 427. Herodotum pro more suo, Hegesistrati et Sigei mentione facta, in transcursu commemorare bellum inter Athenienses olim et Mytilenaeos gestum, ut occasionem sibi pararet Alcaei carminibus decantatum facinus narrandi. Sensit hoc etiam Larcherus,[80] qui tamen in eo falsus est, quod non bellum Pittaco et Phrynone ducibus gestum, sed posterius, inter Mytilenaeos et Hegesistratum exortum, a Periandro diremtum esse sibi persuasit, ab Herodoto id narrari arbitratus.[81] Hinc eo adductus est, ut Periandrum ad secundum usque Olympiadis LIV annum vixisse putaret bellumque supra commemoratum Olympiadis quadragesimae nonae anno quarto collocaret. De bello inter Mytilenaeos et Hegesistratum mox sermo fiet.

Secundo anno Olymp. LII. Croesus Lydorum imperium adeptus est, qui primus e barbaris Graecos Asiam incolentes potestati suae subiecit. Hos postquam ad tributum pendendum adegerat, insulas Asiae adiacentes bello navali aggredi constituit. Idcirco naves aedificare parantem ex septem sapientibus unus, quem alii Pittacum Mytilenaeum, alii Biantem Prienensem fuisse perhibebant, convenit regemque ne temere insulanis bellum inferret cohortatus est, cui consilio

79) Dissertatt. Herodot. p. 165.
80) Chronolog. Herodot. Tom. IV. p. 329.
81) Chron, Her. T. VI, p. 522.

tantum tribuit Croesus, ut a classe fabricanda desisteret.[82] Sic Lesbii eo tempore evaserunt periculo.

Cum Polycrate Samio Ol. LIII, 3. imperium adepto proelium navale a Lesbiis commissum est, qui Milesiis bellum adversus tyrannum illum gerentibus πανστρατιῇ, ut Herodotus ait, auxilio adfuerunt. Nec vero res feliciter iis evenit. Superatos enim catenisque vinctos ut circa Samum urbem fossam ducerent coëgit Polycrates.[83] Quo anno proelium collocandum sit definiri non potest. Circa haec fere tempora Mytilenaei in Amasidis Aegyptiorum regis familiaritatem venerunt, qui Naucratin urbem iis habitandam concessit utque una cum aliis Graecorum civitatibus Hellenium in Aegypto constituerent permisit.[84])

Olymp. LIV anno quarto Pisistratus Atheniensium tyrannidem primum assecutus est, qui teste Herodoto Sigeum Mytilenaeis vi ereptum filio notho Hegesistrato regendum tradidit. Oppidum illud, ut paullo ante vidimus, Periander Cypselides Atheniensibus olim adiudicaverat. Recte igitur ex Herodoti narratione collegit Valckenarius, Sigeum mortuo Periandro a Mytilenaeis recuperatum esse. Hegesistratus oppidum a patre acceptum οὐκ ἀμαχητὶ tenuit, cum illud Mytilenaei ex Achilleo castello erumpentes armis saepius repeterent. Neque tamen illi quidquam profecerunt, sed mansit Sigeum in Pisistratidarum ditione. Illuc Hippias, cum Ol. LXVII, 3. Athenis pelleretur, se recepit; illuc, a Lacedaemoniis Ol. LXXI, 1. Spartam arcessitus, consilio Athenarum recuperandarum per Corinthios irrito facto, rediit.[85]) Larcherus finem belli inter Hegesistratum et Mytilenaeos gesti, quod a Pe-

---

[82]) Herodot. I, 6. 26. 27.

[83]) Herodot. III, 39.

[84]) Herodot. II, 178.

[85]) Herodot. V, 65. 94.

riandro diremtum esse sibi persuasit, posuit Ol. LIV anno primo, ante illud tempus, quo Pisistratus Athenarum tyrannus primo est constitutus. Mihi vero post quinquagesimam quartam demum Olympiadem Sigeum a Pisistrato captum bellumque de eo gestum videtur, quanquam tempus accuratius haud definiverim. Larcherus, qui Mytilenaeos et Hegesistratum a Periandro reconciliatos esse putans regis Corinthii mortem ultra Ol. LIV, 2. transferre non audebat, facere non potuit, quin belli illius finem Ol. LIV, 1. collocaret.

Cyrus Persarum rex Lydis Ol. LV, 4. devictis Iones Aeolesque, quos antea ut a Croeso deficerent frustra cohortatus erat, bello invadere statuit.[86]) Lesbiis ceterisque insulanis eo tempore nihil metuendum erat. *Λεσβίοισι μέν νυν*, Herodotus ait, *καὶ Τενεδίοισι κατάπερ Ἰώνων τοῖσι τὰς νήσους ἔχουσι, ἦν δεινὸν οὐδέν.*[87]) Cum autem Cyrus quominus imperium ipse susciperet expeditione adversus Babylonios facienda prohiberetur, provinciam illam primum Mazari,[88]) post huius mortem Harpago demandavit. Graeci, quanquam in libertate sua defendenda viros fortes sese praestabant, nihilominus iterum servitutem subire coacti sunt, quo factum, ut Harpagus cum Caribus, Cauniis Lyciisque bellum inferret Ionum quoque et Aeolum copias in exercitu suo haberet.[89])

---

86) Herodot. I, 141.

87) Herodot. I, 151.

88) Hoc ipso tempore Pactyas, cui Cyrus auri Sardibus Agbatana transferendi curam commiserat, Lydis ad defectionem permotis Cymen confugit. Hinc, quia Cymaei hominem apud se servare nolebant, Mytilenen transductus est. Mytilenaei vero, cum missis nuntiis Mazares repeteret Pactyam, mercede illum tradere parati erant. Neque tamen res effectum habuit; Cymaei enim nave Lesbum missa Pactyam ad Chios transportarunt, qui illum mercedem pacti agrum Atarnensem Persis tradiderunt. Narrat rem Herodotus I, 160. malignitatis accusatus a Plutarcho T. IV, II, P. p. 450. defensus a Creuzero ad Hist. Graec. fragm. p. 101.

89) Herodot. I, 169. 171.

Postquam Graecos continentem incolentes subegerat Harpagus, insulani, ne idem sibi accideret timentes, ultro se tradiderunt Persis.[90]) Quanquam Herodotus, rerum harum auctor, solos commemorat Iones, tamen quin eodem tempore Lesbii in Persarum fidem atque potestatem se permiserint non dubito. Cambysem certe cum Aegyptum invaderet copiis Mytilenaeorum navalibus instructum fuisse ex ipso Herodoto cognoscimus. Aegyptiis enim pugna devictis et Memphin compulsis, Cambyses, scriptore illo narrante, misit per flumen navem Mytilenaeam una cum caduceatore Persico, qui ad deditionem eos provocaret. At isti, nave ex moenibus conspecta, universi effusi illam frangebant hominesque in frustra discerptos in urbem deportabant. Mytilenaeos hosce Cambyses, Memphi in potestatem suam redacta, sic ulciscebatur, ut pro unoquoque viro decem Aegyptios ex principum numero necaret.[91])

Cum Olymp. LXVI, 4. contra Scythas proficisceretur Darius Hystaspis, inter ceteros Aeoles Mytilenaei regem secuti sunt a Coë Erxandri filio ducti. Is Dario, qui cum copiis Istrum transgressus pontem fluvio impositum rescindi iusserat, ut sententia mutata Ionibus illum custodiendum relinqueret suasit. Quo consilio rex magnopere laetatus viro illi se domum reversum ipsius haud immemorem futurum pollicitus est.[92]) Nec falsa verba sua fuisse facto comprobavit. Nam simul atque ab expeditione Scythica Sardes rediit, consilii a Coë Mytilenaeo sibi dati recordatus, optionem illi detulit eumque Mytilenes imperium sibi expetentem urbis illius tyrannum constituit.[93]) Neque tamen erat, ut Coës munere a Dario ipsi oblato valde

[90]) Herodot. I, 169.

[91]) Herodot. III, 13. 14.

[92]) Herodot. IV, 97.

[93]) Herodot. V, 11.

gauderet. Postquam enim expeditio a Persis eorumque sociis in Naxum suscepta ad irritum ceciderat, Aristagoras a rege deficiendi consilio inito Mileti cum partium suarum hominibus deliberavit. Ante omnia mittere placuit Iatragoram, ut civitatum Persis subiectarum tyrannos, expeditionis in Naxum susceptae socios arte caperet. Is Myuntem, ubi Persarum classis ex quo reliquerat Naxum versabatur, profectus praeter alios Coën Mytilenaeum, qui navium Lesbiarum dux expeditioni interfuerat, dolo comprehendit. Tum Aristagoras, ut civitates Persarum imperio subiectas sibi conciliaret, tyrannos ex navibus captos illarum arbitrio permisit. Sic etiam Coës civibus suis traditus est, qui, simul atque illius compotes sunt facti, ex urbe eductum lapidibus obruerunt.[94])

Ante tempus illud, quo haec facta sunt, Lesbii Otani copiarum maritimarum praefecto subministrarunt naves, quibus ille utens Lemnum et Imbrum a Pelasgis tum cultas in Darii potestatem redegit.[95])

Posthac Lesbii Paeonas iussu Darii in Phrygiam abductos, mox vero ab Aristagora ut rege invito reditum in patriam tentarent sollicitatos ad hanc rem perficiendam adiuverunt. A Chiis enim Lesbum transvectos Lesbii Doriscum traiicerunt iisque hac ratione in Paeoniam redeundi praebuerunt facultatem.[96])

Cum interfecto Aristagora Histiaeus, metuens, ne ob Graecorum defectionem, cuius auctor princeps exstiterat, poena afficeretur, aufugisset Chiosque naves frustra rogasset, Lesbum sese contulit. Inde cum octo triremibus a Mytilenaeis ipsi subministratis Byzantium petiit Ionumque naves e Ponto venientes inter-

---

[94]) Herodot. V, 36. 37. Conf. Tzetz. in Chiliad. III, 465. ubi male legitur *Κώης Ὀρεξάνδρου* et brevi post *Κώης ὁ Ὀρεξάνδρου*.

[95]) Herodot. V, 26.

[96]) Herodot. V, 98.

cepit.[97]) Interea Iones et Lesbi incolae, Persarum classe ad Miletum appulsa, pugna navali prope Ladam insulam Mileto adiacentem decernere statuerunt. Lesbii cum navibus septuaginta prope Samios, qui cornu occidenti obversum tenebant, collocati erant.[98]) Cum autem Samiorum plurimi, propter desidiam inter ceteros Iones coortam de belli exitu solliciti, e proelio, sicut iis cum Persis convenerat, aufugerent, Lesbii multique alii eos secuti sunt, ut reliqui magna sternerentur clade, Ol. LXXI, 3.[99])

Histiaeus de Mileto a Persis expugnata certior factus, Bisalta ad Hellespontum relicto cum navibus quas a Mytilenaeis acceperat Chium contendit. Ibi a Chiorum praesidio non receptus acie cum iis dimicans multos interfecit moxque reliquos etiam Chios Lesbiorum opera adiutus potestati suae subiecit.[100])

Altero post Miletum dirutam anno (Ol. LXXI, 4.) Persae praeter alias insulas continenti adiacentes Lesbum in ditionem subegerunt[101]) incolasque omnes indagine cinctos ceperunt. Ab illo enim insulae litore, quod maris Aegaei partem septentrionalem spectat, iunctis consertisque manibus progredientes ad australe litus, homines ipsis obviam factos veluti feras venabantur.[102]) Sic denuo Persarum imperio subiecti sunt Lesbii, quos Xerxes, cum adversus Graeciam expeditionem pararet, in belli societatem vocavit. Quot naves contulerint ipsi Lesbii, non compertum habemus; universi Aeoles teste Herodoto[103]) sexaginta miserunt naves. Ab hoc scriptore discrepans Diodorus Lesbios

97) Herodot. VI, 5.
98) Herodot. VI, 8.
99) Herodot. VI, 14. 15.
100) Herodot. VI, 26.
101) Herodot. VI, 31. Aeschyl. Pers. 881.
102) Herodot. l. l.
103) Herodot. VII, c. 95.

una cum Tenediis ceterisque Aeolibus quadraginta tantum naves Persis subministrasse scribit.[104]) Sed maior fides Herodoti debetur testimonio. Nam quum in universarum Xerxis navium numero definiendo gravissimus testis, Aeschylus poeta,[105]) prorsus conveniat cum Herodoto, etiam singula ab historico illo quam accuratissime tradita esse probabile fit.

Persarum copiis navibusque ad Plataeas et Mycalen promontorium deletis, Lesbii una cum ceteris insulanis in commune Graecorum foedus recepti sunt.[106]) Mox Peloponnesii ab Hellesponto (illuc enim ad pontes rescindendos se contulerat classis Graeca) duce Leotychide in patriam navigarunt, Athenienses autem cum sociis, qui modo a rege defecerant, ad Sestum oppugnandam se converterunt.[107]) Huc spectant legatorum Mytilenaeorum apud Thucydidem dicta: Ἡμῖν καὶ Ἀθηναίοις ξυμμαχία ἐγένετο πρῶτον, ἀπολιπόντων μὲν ὑμῶν ἐκ τοῦ Μηδικοῦ πολέμου, παραμεινάντων δὲ ἐκείνων πρὸς τὰ ὑπόλοιπα τῶν ἔργων.[108]) Urbe capta Lesbii pariter atque ceteri domum redierunt.[109])

Cum in expeditione a Graecis Ol. LXXV anno quarto adversus Cyprum et Byzantium facta Pausanias Lacedaemonius superbiret, navium praefecti et duces, maxime autem Chii, Samii et Lesbii Aristidi, ut totius classis imperium susciperet sociosque a Lacedaemoniis seiunctos Atheniensibus conciliaret persuadere tentarunt[110]) moxque id quod cupiebant assecuti sunt. Pausania enim ad rationem eorum quae commiserat reddendam domum arcessito et Aristide in locum eius

---

104) Diodor. Sic. IX, 106.

105) Pers. 340.

106) Herodot. IX, 106.

107) Herodot. IX, 114. Thucydid. I, 89.

108) Thucydid. III, 10.

109) Thucydid. I, 89.

110) Plutarch. Aristid. c. XXIII.

suffecto, maris imperium Atheniensibus cessit. Socii omnes, qui antea Lacedaemoniis paruerant, nunc Atheniensium sequebantur auctoritatem, hoc tamen pacti, ut iure suo ac libertate continuo gauderent. Qua ratione Athenienses pactum illud violantes sociis libertatem sensim eripuerint eosque potestati suae penitus subiecerint, alii narrent, equidem illa tantum, quae ad Lesbum spectant, afferam.

Sub finem Ol. LXXXIV inter Milesios et Samios bellum exortum est, in quo Milesii inferiores Athenienses ad expeditionem in Samios faciendam incitarunt. Illi duce Pericle Samum navigantes democratiam ibi instituunt centumque obsidibus Lemnum delatis praesidium in urbe relinquunt.[111]) Rebellantibus Samiis, Athenienses Pericle, Sophocle poeta aliisque ducibus iterum in eos susceperunt expeditionem. Adfuerunt Lesbii et Chii cum navibus viginti quinque,[112]) quibus paullo post accesserunt triginta aliae.[113]) Lesbum enim pariter atque Chium aliquot naves missae erant, quae auxilium peterent.[114]) Illorum opera adiutus Pericles Samios, postquam ipsi per novem menses restiterant, ut muros diruerent navesque Atheniensibus traderent nec non ducenta talenta solverent coëgit. Eadem fere ratione reliquis Atheniensium sociis libertas adempta est. Cum enim illi quominus coniunctis viribus sese defenderent discordia prohiberentur, omnes subacti sunt, Chiis Lesbiisque exceptis. Neque

---

[111]) Thucydid. I, 115.

[112]) Thucydid. I, 116.

[113]) Thucydid. I, 117.

[114]) Thucydid. I, 116. Cum apud Athenaeum XIII, p. 603. F. Ion poeta dicat, se cum imperatore Sophocle Lesbum navigante congressum esse in insula Chio, suspicari licet, ipsi Sophocli illud obtigisse munus, Lesbios et Chios in belli societatem ut vocaret. Monuit Aug. Seidlerus in dissertatione de Sophoclis Antigona, quae Hermanni editioni praemissa est.

tamen propter fidem, sed aliis de caussis illis abstinuerunt Athenienses.[115]) Primum enim idoneus praetextus, quo Lesbum invaderent iis deerat timoremque inferebant copiae navales, quibus Lesbii, praesertim Mytilenaei instructi erant. Deinde populus et magistratus Atheniensium a Mytilenaeis semper eximie colebantur. Igitur Lesbiis, quanquam ceteris sociis ab Atheniensibus iam subactis libertate sua adhuc gaudebant, ne et ipsi aliquando opprimerentur continuo metuendum erat.[116]) Mytilenaei Athenienses neutiquam benevolentia commotos ipsis parcere, sed longe aliter animo agitare probe intelligentes, ut ab illorum consiliis sese tutos praestarent, Lacedaemoniorum partibus se adiungere statuerunt. Nec vero legatis de defectione Spartam missis obtemperabant Lacedaemonii, quapropter Mytilenaei eo tempore in Atheniensium societate manere coacti sunt.[117])

Bello Peloponnesiaco Ol. XXCVII, 1. concitato Lesbii Atheniensibus aderant socii *αὐτόνομοι*, naves tantum, non pecuniam iis subministrantes.[118]) Ad expeditionem ab Atheniensibus aestate anni secundi Olymp. XXCVII. adversus Epidaurum et Potidaeam factam una cum Chiis naves quinquaginta auxilio miserunt.[119]) Medio vere anni quarti belli huiusce Mytilenaei, a Boeotis consanguineis suis excitati, animo ad defectionem rursus applicato, quae ad illam pertinerent parabant omnia. Etenim non solum portus obstruere, muros reficere navesque aedificare coeperunt, sed etiam nonnullos suorum ad frumentum et sagittarios ex Ponto arcessendos ablegarunt.[120]) Ab eorum

115) Thucydid. I, 19. III, 10.
116) Thucydid. III, 11. 12.
117) Thucydid. III, 2. 13.
118) Thucydid. II, 9.
119) Thucydid. II, 56. VI, 31.
120) Thucydid. III, 3.

partibus stabant reliqui Lesbii praeter Methymnaeos invidia haud dubie prohibitos, quominus ad Mytilenaeorum societatem sese adiungerent, qui citius quam constituerant necdum ad resistendum satis parati bellum suscipere coacti sunt, consilio ipsorum per delatores Atheniensibus prodito. Doxandrus nempe Mytilenaeus, cum virgines duas, defuncti Timophanis, civis opulentioris, filias, in matrimonium filiis suis expetens repulsam pateretur, ira accensus factionem concitavit et Athenienses de consiliis Mytilenaeorum certiores factos ad bellum illis inferendum instigavit. Haec Aristoteles tradit,[121]) quibuscum bene conciliari potest Thucydidis narratio, qui *Τενέδιοι*, ait, *καὶ Μηθυμναῖοι, καὶ αὐτῶν Μυτιληναίων ἰδίᾳ ἄνδρες κατὰ στάσιν, πρόξενοι Ἀθηναίων,*[122]) *μηνυταὶ γίγνονται τοῖς Ἀθηναίοις, ὅτι ξυνοικίζουσί τε τὴν Λέσβον ἐς τὴν Μυτιλήνην βίᾳ, καὶ τὴν παρασκευὴν ἅπασαν μετὰ Λακεδαιμονίων καὶ Βοιωτῶν ξυγγενῶν ὄντων ἐπὶ ἀποστάσει ἐπείγονται· καὶ εἰ μή τις προκαταλήψεται ἤδη, στερήσεσθαι αὐτοὺς Λέσβου.*

---

[121]) Polit. V, 3, 3. Agathias in Epigrammate, Analect. III, p. 64. (Tom. IV, p. 34. Iacobs) Pachetem, Atheniensium in expeditione adversus Lesbum ducem, duarum mulierum Mytilenaearum; Lamaxidis et Hellanidis, amore captum, earum maritos occidisse narrat. Mox vero, ut poeta ait, ipse a mulieribus illis, Mytilene Athenas abductis, interfectus est. Schneiderus, qui ad Aristotelis locum Lamaxidem et Hellanidem pro virginibus *ἐπικλήροις* ab Aristotele commemoratis habendas esse censet, Agathiae narrationi plus quam par est tribuere videtur. Merito Reiskius et Iacobsius historiam illam ad veteres fabellas amatorias, Milesiarum nomine appellatas, referendam esse existimant.

[122]) Sic interpungendus hic locus. Virgulam post *ἄνδρες* ab editoribus plerisque positam, post *στάσιν* recte collocavit Imm. Bekkerus Kistemakeri, opinor, sententiam secutus. (Vide edit. Lips. Vol. II, p. 781.) Coniungenda enim *κατὰ στάσιν μηνυταὶ γίγνονται* etc. Facile intelligitur per *ἄνδρας, προξένους Ἀθηναίων* designari Doxandrum cum partium suarum hominibus.

Athenienses rem a delatoribus nuntiatam primo quidem credere nolebant; cum autem missis legatis Mytilenaeos, ut a belli apparatu instruendo desisterent, adducere non possent, illorum consilia praevertere constituerunt. Decem triremes a Mytilenaeis pro societatis pacto in auxilium missas apud se retinebant Athenienses hominesque in custodiam dabant. Simul quadraginta naves adversus Peloponnesum instructas Cleïppide et duobus aliis ducibus Lesbum petere iusserunt. Nuntiabatur enim Atheniensibus Apollinis Maloëntis festum a cunctis Mytilenaeis extra urbem celebratum iri. Statim igitur classem illam Lesbum miserunt, praetoribus imperantes, ut Mytilenaeos ad festum agendum congregatos ex inopinato opprimere tentarent; sin illud non succederet, eos ad moenia diruenda navesque tradendas provocarent, recusantibus bellum inferrent. At ignotus quidam homo, Athenis in Euboeam profectus, inde vero nave Lesbum delatus, classem Atheniensium appropinquare Mytilenaeis nuntiavit. Quod cum illi acciperent, in campum Maloëntem, ubi Apollini festum celebrare solebant, non processerunt, sed imperfectis murorum portuumque operibus obstructis excubias apud ea egerunt.[123])

Atheniensium praetores paullo post cum classe advenientes mandata ad Mytilenaeos referunt; nihil vero ab iis impetrantes ad pugnandum naves instruunt. Mytilenaei proelium navale commissuri e portu paullo exierunt, cum autem ab hostibus premerentur, ad inducias faciendas illos provocarunt. Re impetrata per legatos Athenas missos ab Atheniensibus ut classem Lesbo removeant petunt, nihil amplius se novaturos profitentes. Simul autem navem ad auxilium arcessendum Lacedaemona clanculum allegant, Athenienses ipsorum precibus obtemperaturos neutiquam speran-

---

[123]) Thucydid. III, 3.

tes.[124]) Neque opinio illa falsam se ostendit. Mox enim infecta re Athenis redierunt legati, quo facto Mytilenaei ceterique Lesbii praeter Methymnaeos pugnam parabant. Proelio commisso aequo Marte dimicabant illi, cum autem viribus ipsorum parum confiderent in portum se recipientes Lacedaemoniorum auxilia exspectaverunt. Nam praeter navem, quam auxilii petendi caussa Lacedaemona missam modo vidimus, alia in Peloponnesum allegata est, Melea Lacedaemonio et Hermaeonda Thebano, qui post proelium Mytilenen pervenerunt, auctoribus.[125])

Athenienses, otio cui se dediderunt Lesbii in spem erecti, postquam sociorum auxiliis sese firmaverant, duo castra ab utraque urbis parte muniverunt nec non utrumque portum navibus circumcluserunt. Hac ratione a mari arcti sunt Mytilenaei, terram autem obtinebant una cum ceteris Lesbiis.[126]) Interea legati priore nave in Peloponnesum missi Lacedaemona delati sunt; inde vero hortantibus Lacedaemoniis Olympiam profecti post peractos ludos coram omnibus sociis Peloponnesiis orationem habuerunt, vicesimo die mensis Iulii. Caussis propter quas ab Atheniensibus defecerint expositis, fructum qui foedere cum ipsis icto percipi posset ostenderunt et Peloponnesios ut confestim auxilio venirent obtestati sunt.[127]) Lacedaemonii legatorum precibus commoti socios in Isthmum contendere iusserunt ipsique citius quam ceteri Peloponnesii illuc profecti naves adversus Athenienses instruxerunt. Sperabant enim, si sociorum opera adiuti Atticam terra marique aggrederentur, fore, ut Athenienses classem Lesbo removerent.[128]) Illi vero cum

---

[124]) Thucydid. III, 4.
[125]) Thucydid. III, 5.
[126]) Thucydid. III, 6.
[127]) Thucydid. III, 8 — 14.
[128]) Thucydid. III, 15.

centum navibus ad hoc ipsum ornatis circa Peloponnesum navigant, qua re Lacedaemonii perterriti domum revertuntur. Facta haec Metagitnione Attico et Augusto Iuliano.[129])

Eodem tempore Mytilenaei una cum sociis adversus Methymnam terra susceperunt expeditionem. Cum autem res aliter atque speraverant eveniret, Antissam, Pyrrham et Eresum se conferebant et moenibus ibi solidatis in urbem suam quam celerrime redierunt. Mox Methymnaei in Antissaeos ipsorum hostes impetum fecere, a quibus fusi fugatique domum se receperunt. Athenienses hisce de rebus certiores facti anni illius mense Septembri armatorum mille Pachetemque ducem Mytilenen miserunt, qui urbem muro cinxit, ut Mytilenaei terra pariter atque mari interclusi qua egrederentur non haberent.[130]) Martio mense Salaethus Lacedaemonius a Spartanis Lesbum mittebatur, qui Pyrrham nave delatus est indeque pedibus Mytilenen se contulit, per χαράδραν qua superabilis fuit murus urbem clanculum ingressus. Nuntiavit Mytilenaeis brevi tempore Lacedaemonios auxilio venturos, qua re illi vehementer laetati novam animo spem conceperunt.[131]) Quinto belli anno, Martio exeunte, Peloponnesii, navibus quadraginta duabus Lesbum missis, Atticam aggressi sunt, ut Athenienses undique peragitati classem Mytilenen navigantem minus curarent. Cum autem ipsis per longum tempus in Attica versatis neque ullus de navibus istis nuntius veniret neque rei frumentariae satis superesset in Peloponnesum redierunt.[132]) Interea Mytilenaei Atheniensibus deditionem facere coguntur, idque hanc ob caussam. Salae-

[129]) Thucydid. III, 16.
[130]) Thucydid. III, 18.
[131]) Thucydid. III, 25.
[132]) Thucydid. III, 26.

laethus, de navium Peloponnesiacarum adventu desperans plebem, quae levi armatura hucusque usa fuerat, graviore instruxit, ut opera illius adiutus in Athenienses urbem obsidentes impetum caperet. Plebs vero, simul atque arma accepit, optimatum praeceptis adversata frumentum proferri omnibusque distribui iussit et nisi id fieret se ipsam, pactione cum Atheniensibus facta, urbem illis traditaram professa est.[133]) In has adducti angustias optimates una cum plebe sese tradunt hosti. Atheniensium populo de Lesbiis pro voluntate consulendi potestatem dantes Pachetis exercitum mense Aprili in urbem intromiserunt. Simul legati Mytilene Athenas profecti sunt, cum Atheniensibus de Lesbiorum rebus acturi. Illi donec rediissent se Mytilenaeorum nullum neque venditurum neque in vincula coniecturum neque interfecturum Paches promiserat. Nihilominus ii ex Mytilenaeorum optimatibus, qui defectionis auctores principes fuerant, promisso a Pachete ipsis facto fidem nullam habentes, ad aras deorum exercitu Atheniensium urbem intrante confugerunt. Paches vero, postquam eos ut in ipsius potestatem sese permitterent adduxerat, in Tenedum insulam salvos transvehi iussit, quo facto Antissam in Atheniensium fidem recepit.[134])

Dum haec in Lesbo gererentur Peloponnesii cum navibus quadraginta duabus, ut antea diximus, Mytilenen missi, itinere admodum tarde facto, Myconum et Icarum pervenerunt ibique de Mytilene ab Atheniensibus capta primum accepere nuntium, cui fidem non habentes Embatum agri Erythraei pagum navigaverunt. Illuc cum septem fere post captam urbem diebus delati essent et sero se Mytilenaeis auxilio venire comperissent, Alcidas Peloponnesiorum praefectus consilio Teutiapli Elei, qui ipsi ceterisque ducibus repentinum

[133]) Thucydid. III, 27.
[134]) Thucydid. III, 28.

in Athenienses impetum suadebat, spreto, in Peloponnesum cum classe rediit.[135]) Paches, qui Mytilene relicta primum Alcidam aliquatenus secutus erat, deinde Notium delatus exsulibus Colophoniis ad locum illum recuperandum opem tulerat,[136]) Lesbum reversus est et, Pyrrha atque Ereso in Atheniensium potestatem redactis, Salaethum Laconem Mytilenes captum ceterosque defectionis auctores, tum illos, quos Tenediis in custodiam tradiderat, tum alios cum maiore copiarum suarum parte Athenas misit. Ipse cum reliquo exercitu in Lesbo remanens Mytilenes ceterarumque urbium res prout ipsi videretur ordinavit.[137])

Salaetho ceterisque captivis Athenas transportatis, Athenienses Laconem illum confestim necaverunt et deliberatione de Mytilenaeis habita, non solum a Pachete missos, sed ad unum omnes interficere illorumque coniuges liberosque in servitutem redigere constituerunt. Navis quae decretum illud ad Pachetem transferret extemplo in Lesbum allegata est. Cum vero postero die atrocissimi illius iudicii poeniteret Athenienses, concione rursus convocata deque Mytilenaeis consultatione redintegrata, leniores propositae sunt sententiae.[138]) Tum Cleon demagogus, qui maximam eo tempore apud populum auctoritatem habebat, surrexit et vehementissime Atheniensibus inconstantiam ac levitatem exprobravit eosque ut in priore permanerent sententia maximopere cohortatus est. *Publicae salutis caussa de Mytilenaeis supplicium sumendum esse* dixit, *ut ceteri socii exemplo in illos edito a defectione deterriti fidem Atheniensibus servarent. Mytilenaeos qui poena afficerentur eo digniores esse, quo magis defectionis caussas procul habuerint. Inter*

---

135) Thucydid. III, 29 — 31.
136) Thucydid. III, 34.
137) Thucydid. III, 35.
138) Thucydid. III, 36.

omnes enim socios primas illos obtinuisse partes, utpote libertate gavisos maximoque semper ab Atheniensibus honore ornatos. Quod cum Mytilenaeos quominus Atheniensium partibus relictis in Lacedaemoniorum partes transirent haud impediverit, merito poenam ab illis repeti. Neque solos optimates capitis damnandos, plebe crimine liberata, sed omnes Mytilenaeos morte puniendos, plebem enim non magis quam nobiles culpa carere. [139]) Cleonis oratione finita, Diodotus, qui etiam in priore concione Atheniensibus ut Mytilenaeis parcerent suaserat, processit et non de illorum facinore sed de reipublicae salute agi monens, humanitatem severitate longe utiliorem esse demonstravit. Praesertim eam ob caussam Mytilenaeis veniam dandam professus est, *ut illi in posterum quoque civitatem Atheniensium tributis pendendis adiuvare possent. Noxiorum poenam se haud abnuere* dixit; *reliquis vero remittendum esse supplicium, ne insontibus una cum proditionis auctoribus punitis, ceterarum civitatum socialium plebs ab Atheniensium populo abalienaretur.* [140]) Hae sententiae postquam propositae sunt, Athenienses, deliberatione rursus habita Diodotique consilio probato, viros quosdam altera trireme Lesbum miserunt, qui decretum priore nave ad Pachetem perlatum irritum esse iuberent. Cum legati Mytilenaei, qui trireme illa Lesbum redierunt, magna remigibus pollicerentur praemia, neque ullus adversaretur ventus, tanta celeritate iter factum est, ut navis Mytilenen perveniret antequam Paches priora iussa exsecutus esset. [141]) Illos vero, qui tanquam principes proditionis auctores a Pachete Athenas missi erant, secundum Cleonis consilium interfecerunt Athenienses totumque Lesbiorum agrum, praeter Methy-

[139]) Thucydid. III, 37 — 40.
[140]) Thucydid. III, 42 — 48.
[141]) Thucydid. III, 49.

mnaeum, ter mille sortibus factis atque ex his trecentis in deorum honorem exceptis, inter cives suos sortiti sunt, quam ad rem alio loco redibimus. Praeterea Mytilenaeorum navibus receptis murisque dirutis urbes illorum in continente sitas et Ἀκταίων πόλεων nomine, ut supra monuimus, appellatas, quarum fuerunt Assus, Antandrus et Rhoetium, in potestatem suam redegerunt.[142])

Octavo belli Peloponnesiaci anno, vere ineunte, Mytilenaei aliique Lesbii, qui, insula ab Atheniensibus subacta in continentem fugerant, Rhoetium mercede exercitu conducto occuparunt, mox illaesum, duobus millibus statêrum Phocaicorum acceptis, reddiderunt. Tum contra reliquas urbes in continente sitas expeditionem suscipere et Antandrum proditione captam operibus ac munitionibus sepire constituerunt, ut ex oppido illo in praesidium Atheniensium Mytilenae impositum excursiones facerent.[143]) Quam rem cum animadverterent Demodocus et Aristides, Atheniensium praetores, qui ad Hellespontum eo tempore cum classe commorabantur, exercitu ex sociis collecto adversus Antandrum profecti sunt eamque, exsulibus Lesbiis devictis, receperunt. Ita Thucydides,[144]) a quo paullo discrepat Diodorus,[145]) qui pro Demodoco praetore Symmachum habet, neque ducibus illis, sed populo Atheniensium Antandri recuperandae consilium tribuit.

Expeditioni decimo sexto belli Peloponnesiaci anno, exeunte Martio, adversus Melios ab Atheniensibus factae cum navibus duabus interfuerunt Lesbii narrante Thucydide,[146]) qui tamen, quaenam civitatum Lesbiarum naves illas auxilio miserit, non addit. In-

---

[142]) Thucydid. III, 50.
[143]) Thucydid. IV, 52.
[144]) Thucydid. IV, 75.
[145]) Diodor. XII, 72.
[146]) Lib. V, 84.

ter socios cum Atheniensibus anni sequentis mense Iunio in Siciliam profectos recensentur a Thucydide[147]) Methymnaei *ναυσὶ καὶ οὐ φόρῳ ὑπήκοοι*.

Atheniensium in Sicilia clade cognita, eorum socii ubique vacillare coeperunt. Decimo nono belli anno, Octobri exeunte, vel ineunte Novembri, Euboeenses Agidem Lacedaemoniorum regem in Attica apud Deceleam tum temporis versantem de defectione facienda adierunt, qui conditione accepta Alcamenem et Melanthum praetores, Lacedaemone arcessitos, cum Neodamodum trecentis, Euboeensibus auxilio mittere constituit. Eodem tempore legati, ab ea Lesbiorum parte quae Lacedaemoniis addicta erat missi, convenerunt Agidem. Rex precibus illorum et Boeotorum qui Lesbiis favebant adhortatione commotus, sententia priore mutata, Alcamenem praetorem in Euboeam proficisci paratum cum decem navibus Lesbum allegare insulamque Atheniensibus eripere statuit. Etiam Boeoti se decem naves praebituros polliciti sunt.[148]) Dum haec apud Deceleam agerentur, Chii et Erythraei ad ipsos Lacedaemonios de defectione se converterunt,[149]) quibuscum et Calligitus atque Timagoras, a Pharnabazo qui Asiae provincias ad Pontum Euxinum sitas regebat missi, advenerunt, ut maxima Lacedaemoniis oriretur contentio, utri potius promitterent auxilium. Tandem Alcibiade inprimis auctore, Chiis et Tissapherni, qui Peloponnesios Persarum regi conciliaturus legatos Spartam miserat, prius opem ferre decreverunt confestimque cum Chiis et Erythraeis societatem conflarunt.[150]) Vicesimo belli anno, vere ineunte, Lacedaemonii legatos tres Corinthum miserunt, qui per Isthmum in mare quod Athenas spectat transvehi iuberent naves, tum

---

[147]) Lib. VII, 57.

[148]) Thucydid. VIII, 5.

[149]) Thucydid. l. l.

[150]) Thucydid. VIII, 6.

Chiis promissas, tum in Lesbiorum usum ab Agide paratas, omnes una in Chium navigaturas.[151]) Neque Agis Lacedaemoniorum consilio adversatus est, qui cum sociis Corinthi deliberatione habita, primum in Chium, deinde in Lesbum, postremo in Hellespontum navigare constituerunt.[152]) Cum vero Corinthii, antequam Isthmia quae tum instabant celebrassent, domo proficisci nollent eamque ob caussam retardaretur expeditio, Athenienses Chiorum proditionem et Peloponnesiorum consilium suspectarunt,[153]) moxque illa quae suspicati erant Corinthi, Isthmiorum ferias et ipsi celebrantes, clariora perspexerunt.[154]) Itaque quum Peloponnesii cum una et viginti navibus Chium peterent, Athenienses iis occurrentes in Piraeum Corinthiorum portum, ad agri Epidaurii confinia situm,[155]) compulerunt victosque ibi classe obsederunt. Lacedaemoniis clade illa vehementer afflictis nullam amplius navem in Asiam mittere missasque revocare visum est.[156]) Alcibiades vero, postquam Endium ceterosque Ephoros ut ipsum una cum Chalcideo praetore in Ioniam mitterent adduxerat,[157]) non Chios tantum, sed Erythraeos quoque Lacedaemoniis conciliavit.[158]) Iam Chii Lesbi ab Atheniensibus abalienandae consilium, a Lacedaemoniis ut antea diximus captum, ipsi perficere statuentes, cum tredecim navibus expeditione in Lesbum suscepta, Methymnam primum ad defectionem faciendam permoverunt, anni a nobis

---

151) Thucydid. VIII, 7.

152) Thucydid. VIII, 8.

153) Thucydid. VIII, 9.

154) Lib. VIII, 10.

155) Thucydid. l. l. Πειραιὸν in Σπειραιὸν mutari iubet Müllerus in Ephemer. Gotting. ann. 1823. Tom. II, fasc. 77. p. 768. et in Hist. Gent. Dor. II, p. 431.

156) Thucydid. VIII, 11.

157) Thucydid. VIII, 12.

158) Thucydid. VIII, 14.

commemorati mense Septembri.[159]) Deinde Mytilenen profecti illam quoque in partes suas traxerunt. Athenienses vero, cum navibus viginti quinque, Leonte ac Diomedonte ducibus, in Mytilenaeorum portum ex improviso delati, Chiorum navibus potiti sunt, deinde in terram descendentes obsistentibus proelio devictis urbem occuparunt. Quod cum Astyochus Lacedaemoniorum strategus, qui cum navibus quattuor Chios secutus primo ad Pyrrham, tum ad Eresum appulit, comperisset, Eresiis sibi conciliatis et armatis, Antissam et Methymnam se conferre decrevit, in bonam spem civium animos erecturus. Neque tamen quidquam efficere potuit, quare cum toto exercitu suo Chium reversus est. Mox etiam Athenienses universa Lesbo in pristinam conditionem restituta Clazomenas se receperunt.[160])

Eiusdem anni mense Octobri Lesbiorum nonnulli qui Lacedaemoniis favebant, Astyochum ad Cymen et Phocaeam versantem de defectione adierunt.[161]) Is vero, qui ad opem illis ferendam promptus et paratus, nec Corinthiis nec ceteris sociis ut in auxilium venirent persuadere poterat, Chium abiit, quo paullo post accesserunt Lesbii, Astyochum ut ipsos Atheniensium potestate liberatos Lacedaemoniis conciliaret iterato rogantes. Sed ne tum quidem quidquam profecerunt, quia Pedaritus copiis Lacedaemoniorum in Chio praefectus Chiique ipsi obstinate denegabant auxilium.[162]) Mansit igitur eo tempore Lesbus in Atheniensium ditione, qui sequentis anni mense Iulio, ut sub Olymp. XCII, 2. scribit Diodorus, illuc navigarunt ad triremes a sociis petendas.[163]) Eodem tamen mense Ere-

[159]) Thucydid. VIII, 22.
[160]) Thucydid. VIII, 23.
[161]) Thucydid. VIII, 32.
[162]) Thucydid. VIII, l. l.
[163]) Diodor. Sic. XIII, 58.

sus tertio Atheniensibus erepta est. Exsules nempe Methymnaei cum trecentis fere armatis, partim voluntariis, partim mercede ex continente conductis, Anaxarcho Thebano duce sumpto, primum in Methymnam impetum fecerunt; ab Atheniensium autem militibus, qui Mytilenes in praesidio collocati adveniebant, repulsi Eresum adorti sunt urbemque eam occuparunt.[164]) Sed mox Thrasyllus praetor Atheniensis cum navibus quinquaginta quinque ad Eresum appulit, quo iam Thrasybulus cum quinque navibus ex Samo praevenerat moxque aliae accesserunt, ita, ut obsideretur urbs septuaginta septem Atheniensium navibus, qui et machinis et quavis alia ratione eam tentarunt.[165]) Cum vero Mindarus Lacedaemoniorum praetor Chio in Hellespontum profectus esset, Athenienses Eresi obsidione relicta cum tota classe eum secuti sunt. Urbem tamen illam paullo post ab iis recuperatam esse dubitari non potest, quamvis id nullo loco diserte indicatum reperias.

Vicesimo secundo belli Peloponnesiaci anno ineunte Athenienses cum navibus quadraginta Sesto, quo Peloponnesiis pugna navali devictis profecti erant, de consiliis Mindari classem undique cogentis certiores facti, Cardiam se receperunt. Illo tempore Alcibiades cum navibus quibusdam in Lesbo versabatur, teste Diodoro,[166]) qui eum ex insula ea ab Atheniensibus Cardiam vocatum esse tradit. Discrepat a Diodoro Xenophon,[167]) Alcibiadem non Lesbo, sed Clazomenis profectum Atheniensium classi se adiunxisse narrans. Tertio Ol. XCII. anno, mense Iulio, Thrasylus Atheniensium praetor magna ad Ephesum a Tissapherne et Syracusanis clade affectus Lesbum traiecit ancorasque ad Methymnam pepigit, unde paullo post

---

164) Thucydid. VIII, 100.
165) Thucydid. VIII, 103.
166) Lib. XIII, c. 49.
167) Hist. Graec. I, 1, 11.

in classem Syracusanorum praeternavigantem impetum fecit navibusque potitus est quattuor.[168]) Anno belli vicesimo sexto Callicratidas Lysandro successor missus, pecunia e Mileto et Chio accepta, Methymnam petiit eamque Atheniensium praesidio defensam secundum narrationem Xenophontis[169]) vi expugnavit, teste Diodoro Siculo[170]) hominum quorundam proditione adiutus in potestatem recepit. Urbe occupata liberos Methymnaeos militesque Atheniensium manu misit, servos autem vendidit omnes.[171]) Quod cum Conon classis Atheniensium dux ad opem Methymnaeis ferendam profectus cognovisset, ad insulam unam ex iis, quae Ἑκατόννησοι appellabantur, pernoctavit, unde postridie mane solvit Mytilenenque versus cursum direxit classem Callicratidae multitudine navium suam longe antecedentem metuens. Insequentibus Lacedaemoniis proelium ad Lesbum commissum est, quo Conon devictus[172]) in portum Mytilenes septentrionalem, navibus triginta perditis, se recepit et quae ad hostium vim arcendam pertinerent paravit omnia, qua in re praeter Athenienses civesque Mytilenaeos agricolas multos in urbem congregatos adiutores habuit. Portum ita munivit, ut militibus in brachio utroque dispositis, ipse cum classis parte medium ostium obsideret, reliquas naves ad dextram laevamque collocaret.[173]) Hostium classis cum adveniret saevissimum exortum est certamen, Atheniensibus et Mytilenaeis Lacedaemoniorum vim fortissime propulsantibus. Iam Callicratidas proelio interrupto quiete suos paullo recreavit, deinde pugna redintegrata et impedimentis quae

168) Xenoph. Hist. Graec. I, 2, 12.
169) Hist. Graec. I, 6, 13.
170) Lib. XIII, 76.
171) Xenoph, H. Gr. I, 6, 15.
172) Diodor. Sicul. XIII, 77.
173) Diodor. Sicul. XIII, 78. Xenoph. H. Gr. I, 6, 17.

Conon obiecerat dissolutis, in portum invectus est et Athenienses atque Mytilenaeos in urbem compulsos obsidione cinxit, universis Methymnae incolis, quos Lacedaemoniis antea conciliaverat, Mytilenen vocatis magnaque pecunia a Cyro Persarum rege accepta.[174]) Conon in tantas adductus angustias naves duas optimis remigibus instructas ad auxilium arcessendum clam hostibus e portu emisit. In altum evectas cum conspicerent Lacedaemonii, ancoris abscissis eas persecuti sunt alteramque sub occasum solis captam in portum reduxerunt. Altera vero navis Athenas aufugit mandataque ad Athenienses retulit, qui naves centum et decem allegarunt, Cononem obsidione liberaturas.[175]) Callicratidas cum ad Arginusas versari cognovisset Athenienses, ipse quoque illuc profectus est, Eteonico cum navibus quinquaginta ad Mytilenen relicto. Lacedaemoniis proelio atrocissimo superatis, Eteonicus classem suam Chium petere iussit, ipse vero cum copiis terrestribus Methymnam[176]) se contulit. Athenienses ab Arginusis Mytilenen navigarunt indeque Conone assumto Samum traiecerunt.[177])

Fractis ad Aegospotamos Atheniensium viribus, Lysander ex Hellesponto cum classe Lesbum delatus Mytilenen et ceteras urbes subegit novasque rerumpublicarum formas constituit.[178]) Neque tamen Lacedaemonii longius quam annos duodecim totius Lesbi possessione gavisi sunt. Nam post victoriam navalem Ol. XCVI, 3. ad Cnidum reportatam Conon praeter alias civitates Mytilenen in Atheniensium fidem recepit.[179]) Olymp. XCVII, 3. Thrasybulus Stiriensis,

---

[174]) Diodor. Sicul. XIII, 79. Xenoph. H. Gr. I, 6, 18.

[175]) Diodor. Sicul. l. l. Xenoph. Hist. Gr. I, 6, 19 — 24.

[176]) Teste Xenophonte Hist. Gr. I, 6, 37. Diodorus l. l. Pyrrham eum profectum esse dicit.

[177]) Diodor. l. l. Xenoph. H. Gr. I, 6, 38.

[178]) Xenoph. H. Gr. II, 2, 5.

[179]) Diodor. Sicul. XIV, 84.

contra Teleutiam Lacedaemonium Athenis profectus ad Mytilenen teste Xenophonte appulit indeque cum militibus quadringentis quos secum classe adduxerat, exsulum Lesbiorum, qui Mytilenen e ceteris urbibus confugerant, nec non ipsorum Mytilenaeorum opera adiutus in Methymnam primo expeditionem suscepit. Quem cum appropinquare audiret Therimachus, a Lacedaemoniis Methymnae harmosta constitutus, cum militibus suis classiariis, quibus Methymnaei ipsi exsulesque Mytilenaei accesserunt, obviam illi processit. Nec vero prospera fortuna gavisus est Therimachus, quo pugna devicto atque interfecto Methymnam ceterasque Lesbi urbes, partim ipsarum voluntate commotas, partim vi coactas Atheniensibus reconciliavit Thrasybulus. Xenophontem[180]) rerum harum auctorem sequitur Diodorus, qui tamen Thrasybulum non ad Mytilenen sed ad Eresum appulisse ibique triremes viginti tres naufragio perdidisse tradit.

Lesbum hoc modo recuperatam rursus amiserunt Athenienses, pace Antalcidea Ol. XCVIII, 2. composita, cuius leges secundum Xenophontem[181]) hae fuerunt: *Ἀρταξέρξης βασιλεὺς νομίζει δίκαιον, τὰς μὲν ἐν τῇ Ἀσίᾳ πόλεις ἑαυτοῦ εἶναι, καὶ τῶν νήσων Κλαζομενὰς καὶ Κύπρον. τὰς δὲ ἄλλας Ἑλληνίδας πόλεις, καὶ μικρὰς καὶ μεγάλας αὐτονόμους ἀφεῖναι, πλὴν Λήμνου καὶ Ἴμβρου καὶ Σκύρου· ταύτας δὲ, ὥςπερ τὸ ἀρχαῖον, εἶναι Ἀθηναίων.* Sed vix per duorum annorum spatium pacis illius conditiones a Lacedaemoniis servatae sunt, qui omnia ad Graeciae imperium contra ius fasque obtinendum convertentes universas fere civitates, inque iis Lesbias, potestati suae subiecerunt. Cum autem aspere ac superbe civitates illas tractarent Lacedaemonii, multae earum, inter quas Chius, Rhodus et Mytilene, Ol. C ¾

[180]) Hist. Gr. IV, 8, 28 — 30.

[181]) Hist. Graec. V, 1, 31. Cf. Diodor. XIV, c. 110. Isocrat. Symmach. c. 25. p. 193. edit. Bekker.

ad Atheniensium redierunt societatem.[182]) Pace Ol, CI, 2, ab Artaxerxe inter Graecos conciliata Lesbiae civitates autonomia aliquandiu fruitae esse videntur. Easdem post Ol. CII, 4. novo inter Athenienses et Lacedaemonios foedere facto Atheniensium partibus addictas fuisse probabile est. Post belli socialis tempora oligarchicam reipublicae formam Mytilenes institutam esse apud Demosthenem legimus, qui in oratione de liberandis Rhodiis[183]) Ol. CVII, 2. habita: *Θαυμάζω δ'*, inquit, *εἰ μηδεὶς ὑμῶν ἡγεῖται Χίων ὀλιγαρχουμένων καὶ Μυτιληναίων, καὶ νυνὶ Ῥοδίων καὶ πάντων ἀνθρώπων ὀλίγου δέω λέγειν εἰς ταύτην τὴν δουλείαν ὑπαγομένων, συγκινδυνεύειν τὴν παρ' ἡμῖν πολιτείαν.* Quinam principes immutati reipublicae status auctores fuerint non satis liquet. Mihi tamen Persas ad rem illam perficiendam magnum habuisse momentum haud absonum videtur. Artaxerxem a Charete, qui Pharnabazo bellum contra regem commoventi opem tulerat, irritatum, una cum Artemisia Carum regina optimates Rhodios ad plebem opprimendam adiuvisse constat. Hinc suspicor Persarum potissimum culpa factum esse, ut Mytilenaeis libertas eriperetur; de re ipsa quod amplius dicam non habeo. Olymp. CVII. Cammen a Demosthene[184]) commemoratum Mytilenes tyrannide potitum esse arbitror. Fortasse circa idem tempus Methymnaeorum imperium assecutus est Cleomenes, de quo Athenaeus lib. X, p. 443. A. haec habet: *Ἐν*

---

182) Diodor. Sicul. XV, 28.

183) P. 176. edit. Bekker. Demosthenis verba in usum suum convertit auctor orationis *περὶ συντάξεως* p. 151. edit. Bekker. *νῦν δὲ πρωτεύειν μὲν ἀξιοῦτε καὶ τὰ δίκαια ὁρίζειν τοῖς ἄλλοις, τὴν δὲ ταῦτα ἐποπτεύσουσαν καὶ φυλάξουσαν δύναμιν οὔτε κατεσκευάσθε οὔτε κατασκευάζεσθε, ἀλλ' ἐπὶ πολλῆς μὲν ἡσυχίας καὶ ἠρεμίας ὑμῶν ὁ Μυτιληναίων δῆμος καταλέλυται, ἐπὶ πολλῆς δ' ἡσυχίας ὁ Ῥοδίων.*

184) Orat. adv. Boeot. II. Opp. Demosth. Vol. II. p. 274. edit. Bekker.

δὲ τῇ πεντηκοστῇ ὁ Θεόπομπος περὶ Μηθυμναίων τάδε λέγει· καὶ τὰ μὲν ἐπιτήδεια προσφερομένους πολυτελῶς, μετὰ τοῦ κατακεῖσθαι καὶ πίνειν, ἔργον δ' οὐδὲν ἄξιον τῶν ἀναλωμάτων ποιοῦντας. ἔπαυσεν οὖν αὐτοὺς τούτων Κλεομένης ὁ τύραννος, ὃ καὶ τὰς μαστροποιοὺς, τὰς εἰθισμένας προαγωγεύειν τὰς ἐλευθέρας γυναῖκας, καὶ τρεῖς ἢ τέτταρας τὰς ἐπιφανέστατας πορνευομένας, ἐνδήσας εἰς σάκκους καταποντίσαι τισὶν προστάξας.

Dario ad Granicum superato Alexander foedus cum Lesbiis composuit et optimates civitatibus expulit. Sed vere anni tertii Olymp. CXI. Memnon Rhodius Asiae inferiori totique Persarum classi a Dario praefectus, magna nummorum copia accepta, in Chium expeditionem fecit proditorumque nonnullorum opera utens insula potitus est. Inde Lesbum cum classe delatus, Mytilenaeorum animis ad morem ipsi gerendum haud propensis, reliquas insulae civitates sine ullo negotio in Darii potestatem redegit. Tum Mytilenen conversus, urbe duplici vallo interclusa et castellis quinque per loca opportuna positis, a terra facile continebat cives. Partem classis Mytilenaeorum portum custodire iussit, reliquas naves ad Sigrium promontorium collocavit, ne quid auxilii obsessis mari adveniret. Haec cum ageret Memnon morbo abreptus irreparabile Persarum rebus damnum intulit. Autophradates tamen ac Pharnabazus Artabazi filius, cui Memnon moriturus commiserat imperium, gravissima Mytilenaeorum urbem prementes obsidione, brevi tempore ad deditionem faciendam eos adegerunt. Convenit pax iis conditionibus, ut mercenarii ab Alexandro pro societatis pacto Mytilenen missi abirent utque Mytilenaei, columnis, in quibus foederis cum rege Macedonico icti conditiones inscriptae erant, subversis, Persarum regis socii fierent inque patriam reciperent exsules omnes, quibus dimidia pars bonorum, quae eo tempore, cum fugerent, possidebant, decreta est. Nihilominus tamen Autophradates et Pharnabazus, simul atque Mytilenes

compotes facti sunt, praesidium, cui Lycomedes Rhodius praeficiebatur, in ea collocarunt et Diogenem exsulum unum urbis tyrannum constituerunt. Praeterea magnam a Mytilenaeis coëgerunt pecuniam, partim vi eam opulentioribus auferentes, partim ab universis civibus exigentes.[185])

Anno primo Olymp. CXII Hegelochus, cui insularum ab hostium praesidiis liberandarum provinciam commiserat Alexander, Chium, quam Apollonides et Athenagoras Chiorum tyranni a Pharnabazo praetore constituti cum modico Persarum praesidio tenebant, seditione inter Apollonidem ac militum duces orta Macedonibusque in urbem irrumpendi occasione data, occupavit. Captus est ad Chium Aristonicus Methymnaeorum tyrannus, quem, cum ille omnium quae apud insulam acta erant ignarus falsisque custodum verbis deceptus cum piraticis navibus portum intraret, comprehensum catenisque vinctum in custodiam inclusit Hegelochus.[186]) Chio in Lesbum traiecit obsidioneque Mytilenen cinxit, quam Chares Atheniensis, duobus millibus Persarum praefectus, ea conditione, *ut incolumi* ipsi abire liceret, Macedonibus in potestatem tradidit.[187]) Etiam reliquis urbibus potitus est Hegelochus earumque tyrannos, inter quos Aristonicum et Chrysolaum Methymnaeos, ad Alexandrum perduxit. Rex tyrannos omnes ipsorum popularium arbitrio permisit, quos illi e muris ob iniurias tortos necaverunt.[188]) Mytilenaeis ob fidem in Macedonum partes

---

185) Arrian. Expedit. Alex. II, 1, 1 — 9. Diodor. Sicul. XVII, 29.

186) Arrian. Expedit. Alex. III, 2, 4 — 6. Curt. Hist. Alex. IV, 5, 15 — 21.

187) Arrian. Expedit. Alex. III, 2, 7. Curt. Hist. Alex. IV, 5, 22.

188) Arrian. Expedit. Alex. III, 2, 9. Curt. Hist. Alex. IV, 8, 11.

praestitam et propter sumptus in bello gerendo positos obsides reddidit Alexander magnamque regionem eorum finibus adiecit.[189])

Dicendum mihi hoc loco de Laomedonte et Erigyio Larichi Mytilenaei filiis, quibus familiarissime usus est Alexander. Ambo sub regno Philippi ex Macedonia fugerant, quo interfecto Alexander revocatos summis affecit honoribus, Laomedonti Syriae posthac praefecto captivorum barbarorum, Erigyio equitum socialium imperium committens.[190]) In proelio apud Gaugamela ab Alexandro contra Darium facto equitibus Peloponnesiacis, Phthioticis, Maliensibus, Locrensibus et Phocensibus praefuit Erigyius.[191]) Idem, triplici per Hyrcaniam itinere ab Alexandro instituto, impedimentum equitumque partem per campos ducere iussus est.[192]) Mox una cum Artabazo et Carano contra Arios missus ducem illorum Satibarzanem singulari certamine a Curtio pluribus descripto superatum necavit victoriaque illa ut Arii in Alexandri fidem ac potestatem sese permitterent effecit.[193]) Regem de Iaxarte transgrediendo belloque Scythis inferendo cum amicis consilium ineuntem maximo opere ne illud faceret cohortatus est Erigyius.[194]) Funus illius, eodem fere tempore quo Philippus Lysimachi frater decessit vita defuncti, omni apparatu atque honore celebratum esse apud Curtium legimus.[195])

---

189) Curt. Hist. Alex. IV, 8, 13.

190) Arrian. Expedit. Alex. III, 6, 8 et 9.

191) Diodor. Sicul. XVII, 57. Arrian. Expedit. Alex. III, 11, 17.

192) Arrian. Expedit. Alex. III, 23, 6. Curt. Hist. Alex. VI, 4, 3.

193) Diodor. Sicul. XVII, 83. Arrian. Expedit. Alex. III, 28, 3 — 5. Curt. Hist. Alex. VII, 4, 33 — 38.

194) Curt. Hist. Alex. VII, 7, 21.

195) Hist. Alex. VIII, 2. 40.

Leomedonti post Alexandri mortem Syria, ut paullo ante monuimus, regenda tradita est.[196]) Retinuit illam nova provinciarum divisione ab Antipatro facta.[197]) Posthac vero a Nicanore Ptolemaei praetore captus regnoque privatus est.[198])

De rebus post Alexandri obitum in Lesbo gestis paucissima tradunt scriptores. Apud Polybium[199]) unus e Rhodiorum legatis ad Aetolos de pace cum Philippo componenda (Ol. CXLIII, 1. a. u. DXLVII) missis ita loquitur: *Ὅτι μὲν οὔτε Πτολεμαῖος ὁ βασιλεὺς οὔθ' ἡ τῶν Ῥοδίων πόλις, οὔθ' ἡ τῶν Βυζαντίων καὶ Χίων καὶ Μιτυληναίων ἐν παρέργῳ τίθενται τὰς ὑμετέρας, ἄνδρες Αἰτωλοί, διαλύσεις, ἐξ αὐτῶν τῶν πραγμάτων ὑπολαμβάνω τοῦτ' εἶναι συμφανές.* Idem Polybius de pacis a Romanorum legatis Ol. CLVI, 2. Prusiam intter Attalumque factae conditionibus agens praeter alia haec affert: *διορθώσασθαι δὲ Προυσίαν καὶ τὴν καταφθορὰν τῆς χώρας, τῆς τε τῶν Μηθυμναίων καὶ τῶν Αἰγαιέων, καὶ τῆς Κυμαίων καὶ Ἡρακλειωτῶν, ἑκατὸν τάλαντα δόντα τοῖς προειρημένοις.*[200]) In bello a Romanis cum Perseo Macedonum rege gesto Antissaei Antenorum regium praefectum quo tempore is cum lembis circa Lesbum vagabatur portu receperunt commeatibusque adiuverunt, quam ob caussam bello confecto missus est Labeo ad Antissam diruendam incolasque Methymnam traducendos.[201]) Inde lux oritur Plinii (H. N. V, 31.) verbis: *Antissam Methymna traxit in se ipsam.*

Cum M'. Aquilius, qui a. 664. Roma in Asiam lega-

196) Diodor. Sicul. XVIII, 3.
197) Diodor. Sicul. XVIII, 39.
198) Diodor. Sicul. XVIII, 43.
199) Lib. XI, 5, 1.
200) Polyb. lib. XXXIII, 11, 8.
201) Liv. XLV, c. 31.

legatus belli Mithridatici praecipuus auctor fuerat, pugna devictus esset, ad Mytilenaeos confugit, qui eum morbo implicitum una cum aliis regi Pontico in potestatem tradiderunt.[202]) Postea Mytilene, quae Mithridate superato arma retinebat, a M. Minucio Thermo capta et diruta est, in qua expeditione coronam civicam meruit I. Caesar.[203]) Hinc Cicero contra Rull. II, 16. *Quid Mytilenae? quae certe vestrae, Quirites, belli lege et victoriae iure factae sunt: urbs et natura et situ et descriptione aedificiorum inprimis nobilis: agri iucundi et fertiles: nempe eodem capite inclusi continentur.* Mox Theophanes Mytilenaeus rerum Pompeii scriptor intimusque illius amicus ab eo impetravit, ut ipsius patriae libertatem restitueret.[204]) Grata beneficii huiusce memoria adducti caelestes honores in defunctum Theophanem contulerunt Mytilenaei.[205]) Post Pharsalicam pugnam Pompeius ad Mytilenen appulit, ut Corneliam uxorem filiumque quos ibi inter belli tumultum seposuerat abduceret; urbem tamen ipsam, licet eum ut ad ipsos veniret cohortarentur cives, non intravit.[206]) Eandem benevolentiam, quam erga Pompeium Magnum praestiterunt Mytilenaei, filio eius Sexto declararunt, qui, cum ab Agrippa a. u. DCCXVIII proelio navali victus Lesbum deveniret, benignissime

---

[202]) Velleius Pat. II, 18. Diodor. Sicul. T. II. p. 613. edit. Wesseling. Appian. de bell. Mithrid. c. 21. Davis. ad Cic. Quaest. Tusc. V, 5.

[203]) Liv. epit. lib. LXXXIX. Sueton. Caes. c. 2.

[204]) Velleius Paterc. II, 18. Plut. vit. Pomp. 42. Cf. Strabo XIII, p. 617. D.

[205]) Tacit. Annal. VI, 18. Nummos a Mytilenaeis in Theophanis honorem cusos in disputatione de illius vita et scriptis commemorabimus. Nunc sis conferas Eckhel. Doctr. Numm. P. I. Vol. 2. p. 504. et Mionnet. Numm. Gr. Tom. III, p. 47.

[206]) Appian. de bell. civ. II, 83. Dio Cass. XLII, 2. Plut. Pomp. c. 74. 75. Iul. Caes. de bell. civ. III, 102. Lucan. Pharsal. V, v. 725. 764. lib. VIII, v. 108 sqq.

ibi exceptus est.[207]) Anno a. u. c. DCCXXXI. M. Agrippa, qui postea gener ab Augusto sumptus est, ex levi frigoris suspicione et quod M. Marcellus ad munera publica admotus sibi anteferretur Mytilenen secessit ibique aliquandiu in secreto vitam degit.[208]) Memoriam illius hac inscriptione, in Lesbi litore inventa,[209]) celebraverunt Mytilenaei:

ΟΔΑΜΟΣ
ΘΕΟΝΣΩΤΗΡΑΤΑΣΠΟΛΙΟΣΜΑΡΚΟΝ
ΑΓΡΙΠΠΑΝΤΟΝΕΥΕΡΓΕΤΑΝΚΑΙΚΤΙΣΤΑΝ

Anno p. Ch. XVIII Germanicus, una cum principe consul designatus, cum uxore Euboea Lesbum tramisit, ubi Agrippina novissimo partu Iuliam edidit.[210]) Exstat nummus in rei huiusce memoriam a Mytilenaeis cusus, qui adversa parte monstrat inscriptionem *ΘЄΟΝ ΓЄΡΜΑΝ — — — ΜΥΤΙ.* caputque Germanici nudum, aversa caput Agrippinae cum inscriptione *ΘЄΑΝ. ΑΙΟΛΙΝ. ΑΓΡΙΠΠΙΝΑΝ. ΜΥΤΙ.*[211]) Nummo huic adiungenda inscriptio Mytilenaea,[212]) ubi haec leguntur: *ΜΑΡΚΟΝΓΡΑΝΙΟΝΓΑΙΩΥΙΟΝ — — — ΓΥΜΝΑΣΙΑΡΧΗΣΑΝΤΑΘΕΑΣΣΕΒΑΣΤΑΣΑΙΟΛΙΔΟΣΚΑΡΠΟΦΟΡΟΥΑΓΡΙΠΠΕΙΝΑΣ.* Sensus est: *Marcus Granius, qui gymnasiarchi munere functus est in festo Agrippinae.* Καρποφόρος appellatur Agrippina Cereris epitheto ob fecunditatem.[213])

---

[207]) Dio Cass. XLIX, 17. Appian. de bell. civ. V, 83.

[208]) Tacit. Annal. XIV, 53. Sueton. August. c. 66. Tiber. c. 10. Dio Cass. LIII, 32. Cf. lib. LIV, c. 6. et Vell. Pat. II, 93.

[209]) Vide Sherard. p. 80. Chishull. Antiq. Asiat. p. 186. Cayl. Rec. d'Ant. T. II. p. 3. pag. 186. Pocock. Insc. I, 4, 6. p. 46.

[210]) Tacit. Annal. II, 54.

[211]) Spanhem. de us. et pr. N. T. II, p. 277. 490. Eckhel. Doctr. numm. P. I. Vol. 2. p. 505 et Tom. VI, p. 214.

[212]) Pocock. Insc. I, 4, 6. p. 46. Cf. Gesner. in commentt. Gotting. antiq. Vol. V, p. 58 sqq.

[213]) Cf. inscriptionem Cymaeam ap. Murator. T. I. p. CCXVIII.

Plinius (H. N. V, 31.) Mytilenen *liberam* vocat. *Αὐτονομίαν*, quam urbi eripuisse videtur Vespasianus, Hadriano regnante recepisse cives haec inscriptio[214]) facit ut credam.

ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΙ
ΤΡΑΙΑΝΩ
ΑΔΡΙΑΝΩ ΚΑΙΣΑ
ΡΙ ΣΕΒΑΣΤΩ
ΕΛΕΥΘΕΡΙΩ ΟΛΥΜΠΙΙ
Ω ΚΤΙΣΤΗ ΔΙΙ
ΧΑΡΙΣΤΗΡΙΟΝ

Septimium Severum imperatorem hoc celebrat monimentum:[215])

ΑΒΟΛΑΑΚΔΙΟΔΑΜΟΣΤΟΝΜΕΓΙΣΤΟΝΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΑ
ΚΑΙΣΑΡΑΣΕΠΤΙΜΙΟΝ
ΣΕΒΗΡΟΝΠΕΡΤΙΝΑΚΑΣΕΒΑΣΤΟΝ
ΤΟΝΓΑΣΚΑΙΘΑΛΑΣΣΑΣ
ΔΕΣΠΟΤΑΝ

Nummorum inscriptione *ΚΟΙΝΟΝ ΛΕCΒΙΩΝ* signatorum supersunt nonnulli e temporibus M. Aurelii et Commodi.[216]) Mytilenaeorum permulti exstant sub Augusto, Tiberio, Caligula, Claudio, Vespasiano, Domitiano, Hadriano, Antonino Pio, Marco Aurelio, Commodo, Sept. Severo, Valeriano, Gallieno cusi. Qui ex Methymnaeorum nummis imperatoriis servati sunt, ad Augusti, Domitiani, Traiani, Commodi, Sept. Severi, Caracallae et Alexandri Severi pertinent tempora. Inter Eresiorum nummos reperies quosdam circa Hadriani tempus signatos. Reliquae civitates sub imperatoribus nullius fere momenti fuisse videntur.

Ex nummis Mytilenaeorum imperatoriis duo mihi hoc loco afferendi sunt, quorum alter L. Veri aetate, alter sub Valeriani imperio cusus est. Prior aversa parte ostendit verba *ЄΠΙ ΜЄΝЄΚΡΑΤΟΥ ΜΥΤΙ-*

[214]) Ad Mytilenen in basi marmorea inventa. Murat. T. I. p. CCXXXVI, 2.

[215]) Edidit. Villois. in Mem. Acad. inscr. T. XLVII, p. 318.

[216]) Mionnet. T. III, p. 34. 35.

ΛΗΝΑΙΩΝ ΚΑΙ ΑΔΡΑΜΥΤΤΗΝΩΝ ΟΜΟΝΟΙΑ, posterior inscriptionem: *ЄΠΙ ΣΤΡ. ΒΑΛ. ΑΡΙϹΤΟ ΜΑΧΟΥ ΟΜΟ ΜΥΤΙΛΗΝΑΙΩΝ ΚΑΙ ΠЄΡΓΑΜΗ ΝΩΝ*. Concordia Mytilenaeorum cum Pergamenis, Ephesiis, Smyrnaeis designatur nummo autonomo, quem Eckhelius P. I. Vol. 2. p. 505. ita describit: *Adv. ΠΡΩΤΗ ΛЄϹΒΟΥ ΜΥΤΙΛΗΝΗ. Caput muliebre turritum. Av. ΟΜΟΝΟΙΑ ΜΥΤΙΛΗΝΑΙΩΝ. Mulier adversa capite tutulato sedens d. pateram, s. quid oblongum, ei a dextris adstat Aesculapius, a sinistris Diana Ephesia, sequitur a dextris Nemesis, a sinistris Nemesis alia.* Cum Pergamenis igitur diversis temporibus societatem coniunxisse videntur Mytilenaei. In inscriptione apud Spon. Misc. erudit. antiq. X, 79. p. 348. cur Pergamenorum consanguinei (συγγενεῖς) audiant Mytilenaei equidem non intelligo.

Paruit Lesbus postero tempore imperio Byzantino. Initio saeculi noni in illa diem supremum obiit Irene Leonis II. uxor. Alexio Comneno I. regnante Tzachas Turcorum praefectus Mytilenen occupavit, paullo post a Ioanne Duca receptam, in Methymnam vero frustra impetum fecit.[216]) Anno MCCCXXXVI sub imperio Andronici III Rhodii, Phocaeenses et qui Cyclades tenebant insulas cum navibus quindecim Lesbum profecti inque Mytilenes portum ex inopinato delati proditione illico ceperunt urbem. Mox, cum Rhodii et Cycladum insularum princeps de praeda partienda consultarent, Catanes navium Phocaeensium praefectus sociis dolo fraudeque circumventis copias suas in urbem introduxit eaque sibi soli vindicata cives omnes expulit.[217]) Anno MCCCXXXVII imperator contra Mytilenen, a Catane post factam navium nonnullarum iacturam magna militum manu munitam uberrimoque commeatu instructam, proficisci iussit Alexium Philanthropenum avunculum, qui brevi tempore omnia in pristinam re-

[217]) Anna Comnena Alex. lib. VII, p. 163. B.

[218]) Niceph. Gregor. Hist. Byzant, IX, p. 261. Laon. Chalcocondyl. de rebus Turcicis lib. X, p. 216.

stituit conditionem.[218]) Medio hoc saeculo Ioannes Palaeologus Francisco Gateluzo ob varia merita sororem in matrimonium collocavit dotisque nomine Lesbum regendam tradidit, quam usque ad annum MCCCCLXII Francisci posteri perpetua successione possederunt,[219]) quorum postremi tributum pendebant Turcorum imperatori tria millia nummorum.[220]) Anno MCCCCLVII triremes undecim a Papa Callisto missae et Catalanorum aliorumque piratarum auxilio adiutae Lemnum, Samothracen, Thasum aliasque insulas occuparunt, quarum rerum Gateluzum auctorem ratus Mahometes II. cum ingenti classe misit Ismaelem bellum Lesbo illaturum. Is tamen, Methymna machinis, tormentis cuniculis aliisque artibus frustra tentata multisque suorum amissis, pedem retulit[221]) Anni MCCCCLXII mense Septembri Mahometes ipse cum triremibus sexaginta in Lesbum movit, Nicolao Gateluzo, qui Dominico fraude circumvento gulam laqueo fregerat, insulae imperium tenente. Mahometi ut in ipsius potestatem traderetur Lesbus poscenti cum obsecundare nollet Nicolaus, in continentem rediit imperator Turcicus, Mahmuto Mytilenes oppugnandae provincia demandata, qui urbem una cum reliqua insula in ditionem redegit. Nicolaus et frater, cuius opera ad Dominicum opprimendum usus erat, in custodiam inclusi, mox se sacra Christiana cum Turcicis commutaturos profitentes dimissi sunt. Sed paullo post rursus eos in vincla coniici necarique iussit Mahometes.[222])

Nunc insula Lesbus a Batavis *Metelyn*, ab Italis Gallisque *Meteline* et *Metelin*, a Turcis *Medilli* vel *Medellu Adassi* appellatur. Eodem nomine veterem

---

219) Niceph. Gregor. l. l. p. 265.

220) Johann. Ducas Hist. Byzant. p. 18. D. Laon. Chalcocondyl. de rebus Turcicis l. l.

221) Johann. Ducas l. l. p. 148.

222) Johann Duc. l. l. p. 153.

223) Johann. Duc. p. 156. Chalcocondyl. p. 219.

Mytilenen hodie nuncupant.[224]) In insula exigua, ubi antiquiorem Mytilenes partem conditam fuisse supra memoravimus, duae eminent arces, quae caussae sunt, ut urbem etiam *Castro* dicant Galli. Recentiorum alii centum et viginti, alii ducentos vicos pagosque in Lesbo exstare perhibent.[225]) Neque de incolarum numero; definitu sane difficili, omnes idem tradunt; videntur viginti quinque millia hominum inhabitare insulam.[226]) Methymna, quae *Molivo* hodie appellatur, arcem habet unam, ecclesias tres et incolarum tria millia, quorum Christiani sunt ducenti, musica et poesi insignes.[227])

Insula hodie pariter atque priscis temporibus fortunatissimi caeli solique esse narratur. Nullus quidem ibi reperitur fluvius insignis, sed magna fontium copia, quorum permulti calidi sunt,[228]) incolas aquae inopia laborare non sinit. Vinum Lesbium, quod tot tantisque laudibus ornant antiqui scriptores, etiam recentiores summo opere commendant; ficus Lesbiae illis, quae in reliquis maris Aegaei insulis nascuntur, multo praestantiores perhibentur.[229]) Oleum in alias terras deportatum summam redituum apud incolas facit,[230]) qui agricultura neglecta maximum studium in re navali ponunt.[231]) Quae de ratione a Turcis in insulae rebus administrandis adhibita scribunt Pocockius, Tournefortius aliique silentio praeterire quam repetere satius duco, cum Lesbi statum post illud tempus, praesertim in praesenti, prorsus immutatum esse certum sit.

[224]) Dapper, Archipel. p. 230. Herbelot. biblioth. Orient. s. v. *Medellu.*

[225]) Vide: Com. de Raczynski in provinciarum quarumdam Osmannicarum descriptione, p. 188. (interpr. Germ. ann. 1825.)

[226]) Cf. lib. mod. laud. et Ukert. Graec. delin.

[227]) Pocock. descript. Orient. III, p. 27. Ukert. l. l.

[228]) Ukert. l. l. Pocock. l. l. p. 25. 26.

[229]) Tournefort. II, p. 85.

[230]) Pocock. l. l. p. 25. 31. Ukert. l. l.

[231]) Pocock. l. l. p. 25 sq. Ukert. l. l.

CAPUT TERTIUM.

I. Civitatum Lesbiarum gubernatio et instituta publica.

Multifariorum Lesbi fatorum narratione ad finem perducta, de publico insulae statu, hoc est de ratione qua civitatum Lesbiarum res diversis temporibus constitutae fuerunt et administratae sunt, nobis dicendum. Cum maxima pars eorum, quae huc pertinent, cum insulae historia arctissime cohaereat ab eaque divelli nequeat, multa in capite antecedente a nobis exposita ut repetantur, leviter saltem adtingantur, necesse est. Ceterum Carum Pelasgorumque aetatis hoc loco rationem haberi non posse apparet. Ab eo igitur tempore, quo Aeoles iustas in Lesbo constituerunt civitates, initium capiamus.

Lesbii pariter atque ceteri Graeciae cultores regibus a principio paruisse putandi sunt. Agamemnonis posteros, coloniarum Aeolicarum duces, Achaeos, quibus in Peloponneso praefuerant, in Asia quoque imperio rexisse consentaneum est. Gran igitur Penthili filium, qui ex Peloponneso per Boeotiam in Lesbum colonos deduxit inque insula ea urbem condidit, regia dignitate gavisum esse existimes. Penthilidae antiquorum regum posteri ob gravissimas contumelias civibus Mytilenaeis factas a Megacle eiusque amicis occisi sunt, quam rem circa Olymp. XXX collocandam reor. Iam ipsorum civium nobiliores assurgere summamque rerum affectare coeperunt. Melanchrum Mytilenaeum patriae tyrannide potitum Ol. XLII interfe-

cit Pittacus. Secuti sunt Myrsilus, Megalagyrus, Cleanactidae. Alcaeum in carminibus quidem civium suorum tyrannos conviciis insectatum esse, revera autem haud aliter atque illos animo affectum fuisse ait Strabo comprobantque Mytilenaei, qui poetam una cum fratre aliisque optimatum parti addictis in exsilium eiecerunt. Bellum Lesbo inferentibus se opposuit Pittacus, aesymnetae honoribus a Mytilenaeis ornatus. Aristoteles (Polit. III, c. 9, 5. 6.) cuius locum integrum supra posui, aesymnetas tyrannos esse dicit, civium suffragiis electos, quorum alii in totius vitae spatium creati sint, alii in praefinitum tempus, vel ad certas res gerendas. Ad posteriores Pittacum pertinere ait Aristoteles, cui eam provinciam demandaverint Mytilenaei, ut exsulum impetum a patria repelleret. Non satis accurate de his rebus praecipiunt scriptores quidam Mytilenaeorum dominatoribus adnumerantes Pittacum, qui nec vi civitatem unquam occupavit nec sibi oblatam moderatus est. In Plutarchi convivio c. 2. haec legimus: *καὶ Πιττακὸς εἰ μοναρχίᾳ μὴ προςῆλθεν, οὐκ ἂν εἶπεν, ὡς χαλεπὸν ἐσθλὸν ἔμμεναι* et c. 14. Thales *Ἐγὼ*, inquit, *τῆς ξένης ἤκουον ᾀδούσης πρὸς τὴν μύλην, ἐν Λέσβῳ γενόμενος· Ἄλει, μύλα, ἄλει· καὶ γὰρ Πιττακὸς ἀλεῖ μεγάλας Μιτυλήνας βασιλεύων.* De Diogenis Laertii et Valerii Maximi locis iam supra a nobis disputatum est. Conferas Clement. Alex. Stromat. I. p. 300. C. qui et ipse Pittacum Mytilenaeorum *βασιλέα* nuncupat. Pittacum leges quidem constituisse Mytilenaeis, nunquam vero novam reipublicae formam induxisse indicat Aristoteles Polit. II, 9, 9. Schneid. *ἐγένετο δὲ καὶ Πιττακὸς νόμων δημιουργὸς, ἀλλ᾽ οὐ πολιτείας.* — De legibus a Pittaco latis permulti commemorant. Diodorus Siculus T. II. p. 522. edit. Wesseling. *νομοθέτης ἀγαθὸς ὑπῆρχε* et postea: *κατὰ τὴν νομοθεσίαν ἐφαίνετο πολιτικὸς καὶ φρόνιμος.* Dionys. Halic. Antiq. Rom. II. c. 26. *οἱ μὲν τὰς Ἑλληνικὰς καταστησάμενοι πολιτείας βραχύν τινα κομιδῇ χρόνον ἔταξαν ἄρχεσθαι*

τοὺς παῖδας ὑπὸ τῶν πατέρων, οἳ μὲν ἕως τρίτον ἐκπληρώσωσιν ἀφ' ἥβης ἔτος· οἱ δὲ ὅσον ἂν χρόνον ἤθεοι μένωσιν· οἱ δὲ, μέχρι τῆς εἰς τὰ ἀρχαῖα τὰ δημόσια ἐγγραφῆς, ὡς ἐκ τῆς Σόλωνος καὶ Πιττακοῦ καὶ Χαρώνδου νομοθεσίας ἔμαθον, οἷς πολλὴ μαρτυρεῖται σοφία. Cf. Clement. Alex. Stromat. I. p. 300. C. Diog. Laert. Pitt. 79. Suidas s. v. Πιττακός. Insignis Pittaci lex fuit haec, ut ebrii, si quid offenderet, poenam subirent duplo maiorem, quam illi, qui ieiuni aliquid peccarent. Arist. l. l. Νόμος ἴδιος αὐτοῦ, τὸ τοὺς μεθύοντας, ἄν τι πταίωσι, πλείω ζημίαν ἀποτίνειν τῶν νηφόντων. Διὰ γὰρ τὸ πλείους ὑβρίζειν μεθύοντας ἢ νήφοντας, οὐ πρὸς τὴν συγγνώμην ἀπέβλεψεν, ὅτι δεῖ τοῖς μεθύουσιν ἔχειν μᾶλλον, ἀλλὰ πρὸς τὸ συμφέρον. Idem Aristoteles ad Nicomach. III, 7. καὶ γὰρ ἐπ' αὐτῷ τῷ ἀγνοεῖν, inquit, κολάζουσιν, ἐὰν αἴτιος εἶναι δοκῇ τῆς ἀγνοίας, οἷον, τοῖς μεθύουσι διπλᾶ τὰ ἐπιτίμια, ἡ γὰρ ἀρχὴ ἐν αὐτοῖς· κύριος γὰρ τοῦ μὴ μεθυσθῆναι· τοῦτο δ' αἴτιον τῆς ἀγνοίας. Adde Plutarch. conviv. sept. sapient. XIII. ὑποφθάσας δ' Ἀνάχαρσις· Σὲ γὰρ, ὦ Πιττακὲ, καὶ τὸν σὸν ἐκεῖνον τὸν χαλεπὸν φοβεῖται νόμον, ἐν ᾧ γέγραφας· Ἐάν τις ὁτιοῦν μεθύων ἁμάρτῃ διπλασίαν ἢ τῷ νήφοντι τὴν ζημίαν. Commemorat illam Pittaci legem etiam Diogenes Laertius lib. I. p. 48. Meibom. νόμους ἔθηκε τῷ μεθύοντι ἐὰν ἁμάρτῃ, διπλῆν εἶναι τὴν ζημίαν· ἵνα μὴ μεθύωσι, πολλοῦ κατὰ τὴν νῆσον οἴνου γενομένου.

De reliquarum civitatum rebus nihil fere dicendum habemus. Mature illae foedus cum Mytilenaeis composuisse inque fidem eorum se commisisse videntur. [1]) Probari hoc arbitror loco Aeliani ex Var. Hist. VII, 15. Ἡνίκα τῆς θαλάσσης ἦρξαν Μιτυληναῖοι, τοῖς ἀφισταμένοις τῶν συμμάχων τιμωρίαν ἐκείνην ἐπήρτησαν· γράμματα μὴ μανθάνειν τοὺς παῖδας αὐτῶν μηδὲ μουσικὴν διδάσκεσθαι· πασῶν κολάσεων ἡγησάμενοι βαρυτάτην εἶναι

---

[1]) Nummi tamen verbis ΚΟΙΝΟΝ ΛΕΣΒΙΩΝ insigniti omnes ad imperatorum pertinent tempora.

ταύτην, ἐν ἀμαθίᾳ καὶ ἀμουσίᾳ καταβιῶναι. De Mytilenaeorum θαλασσοκρατίᾳ, quam illi Ol. XXVI. obtinuisse dicuntur, postea videbimus. Socii, quibus insignis illa irrogata est poena, non alii fuisse putandi sunt, nisi Antissaei, vel Eresii, vel alius cuiusdam Lesbiae civitatis incolae. Ex his colligi potest, Mytilenaeos principatum, quem ad extremam usque aetatem tuiti sunt, iam perantiquis temporibus assecutos esse.

Libertate gavisa est Mytilene usque ad Cyri tempora, cuius imperio, Aeolensibus atque Ionibus in continente Asiae a Mazare et Harpago superatis, ultro se subiecerunt insulani. Neque tamen Cyrus civitatum Lesbiarum statum immutasse videtur, quibus praeter tributum illud impositum est officium, ut Persarum regem quotiescunque bellum pararet copiis navibusque adiuvarent. Cum Cambyse in Aegyptum profecti sunt Mytilenaei, cum Dario contra Scythas, duce Coë Erxandri filio, qui posthac patriae suae tyrannus constitutus est. Iugum servitutis Ol. LXX. Aristagora adiuvante excussum post expugnationem Mileti rursus accipere coacti sunt Lesbii. Xerxe a Graecis terra marique superato, primum Lacedaemoniorum sequebantur auctoritatem, deinde Pausania a rebus gerendis avocato in Atheniensium transierunt partes. Sociorum Atheniensium alios sui iuris (αὐτονόμους) alios imperio subiectos (ὑπηκόους) fuisse constat. Initio belli Peloponnesiaci praeter Chios libertate gaudebant soli Lesbii. Caussas propter quas eousque Lesbiis pepercerunt Athenienses apud Thucydidem exponunt Mytilenaeorum legati.[2]) Primum non tam voluntas, quam idoneus praetextus deerat Atheniensibus. Deinde illi in subigendis sociis ab infirmioribus semper incipere solebant navesque timebant, quas satis multas habebant Mytilenaei. Accedebat quod Atheniensium civitas magistratusque semper omni modo colebantur a Lesbiis. So-

[2]) Thucydid. III, 31.

cii αὐτόνομοι ad bella naves tantum subministrabant Atheniensibus; ab iis vero quibus libertas prorsus erepta erat exigebatur pecunia. Hinc Thucydides II, 9, sociis Atheniensium enumeratis, τούτων, inquit, ναυτικὸν παρείχοντο Χῖοι, Λέσβιοι, Κερκυραῖοι. οἱ δ' ἄλλοι πεζὸν καὶ χρήματα. Post secessionem a Lesbiis quarto belli anno factam immutatus est insulae status. Tributum quidem Lesbiis non imposuerunt Athenienses, sed totum eorum agrum, praeter Methymnaeum, in ter mille partes descripserunt, quarum trecentae in deorum honorem exceptae, reliquae cleruchis Atticis distributae sunt. Terra Lesbiis colenda concessa est, ea tamen conditione, ut iis Atheniensium, quibus agri sorte obvenerant, pro unaquaque parte binas quotannis minas solverent.[3]) Secundum Boeckhii sententiam non omnes Atheniensium cleruchi in Lesbo manserunt; pars tantum eorum in praesidio relicta est; reliqui Athenas reversi sunt.[4]) Quod omnibus civitatibus Atheniensium potestati subiectis edictum erat, ne reum ullum sine Atheniensibus capitis damnarent, id Lesbiis quoque post defectionem praescriptum esse videmus. Apud Antiphontem[5]) civis Mytilenaeus de interfecto Herode accusatus ita loquitur coram Atheniensium iudicibus: Νῦν δὲ αὐτοὶ καταγνόντες τὸν θάνατον τοῦ ἀνδρὸς ἀπεκτείνατε. ὃ οὐδὲ πόλει ἔξεστιν, ἄνευ Ἀθηναίων οὐδένα θανάτῳ ζημιῶσαι. Methymnaei qui soli e Lesbiis fidem Atheniensibus servaverant in agrorum possessione pristinaque conditione manserunt. Thucydid. VI, 85, καὶ τοὺς ἐκεῖ ξυμμάχους, ὡς ἕκαστοι χρήσιμοι, ἐξηγούμεθα, Χίους μὲν καὶ Μηθυμναίους νεῶν παροχῇ αὐτονόμους, τοὺς δὲ πολλοὺς χρημάτων βιαιότερον φορᾷ.

---

[3]) Thucydid. III, 50. Antiph. de caede Herod. p. 744. pag. 63. edit. Bekker.

[4]) Boeckh. de Oeconom. Athen. Tom. I. p. 463.

[5]) De caede Herodis p. 56. edit. Bekker. Cf. Boeckh. l. l. p. 436.

Adde lib. VII. c. 57. ubi scriptor de sociis contra Syracusas profectis agens *πρὸς δ' αὐτοῖς*, inquit, *Αἰολεῖς, Μηθυμναῖοι μὲν ναυσὶ καὶ οὐ φόρῳ ὑπήκοοι, Τενέδιοι δὲ καὶ Αἴνιοι ὑποτελεῖς.* Postremis belli Peloponnesiaci annis et post illud modo Atheniensium, modo Lacedaemoniorum partibus addictae erant Lesbiae civitates. Post proelium ad Aegospotamos commissum formam civitatis decemviralem Mytilenes ceterisque urbibus instituit Lysander.[6]) Athenienses, quamdiu in ipsorum societate essent, Lesbii, inter socios *ὑπηκόους* eos habuisse videntur. Circa Ol. CVII. oligarchica reipublicae forma apud Mytilenaeos instituta est. Sequuntur tyranni a Persis Lesbi civitatibus praefecti, de quibus in historia insulae commemoravimus.

Quemadmodum in plurimis aliis civitatum Graecarum, ita in Lesbo quoque inde a regia dignitate abrogata duae semper exstiterunt incolarum partes, altera ad nobilium ditiorumque imperium constituendum omnia convertens, altera populari statui favens. Optimates, quibus *ὁ δῆμος* opponitur, apud veteres scriptores *οἱ δυνατοὶ, οἱ ἐν τοῖς πράγμασι, οἱ ὀλίγοι, οἱ τὰ πράγματα ἔχοντες* audiunt. Ex eorum numero fuisse putandi sunt Myrsilus, Megalagyrus et Cleanactidae, qui Mytilenaeorum occuparunt tyrannidem, nec non Alcaeus poeta eiusque frater Antimenides una cum partium suarum hominibus. Postero tempore contentione de principatu in Graecia inter Athenienses et Lacedaemonios exorta, plebs priorum, nobiles posteriorum partibus favebant. Optimates utpote opibus praevalentes hac tempestate plebe superiorem fuisse apparet. Consilium ab Atheniensibus deficiendi a solis nobilibus Mytilenaeorum captum est, inscia plebe, quae narrante Thucydide levi armatura utebatur, antequam a Salaetho Lacedaemonio impetum in Athenienses urbem obsidentes parante graviorem acciperet. Hinc Diodotus

---

[6]) Schneider ad Xenoph. Hist. Graec. II, 2, 6.

apud Thucydidem suadet Atheniensibus, ut optimates tantum poena afficiant, a plebe vero capitis condemnanda se abstineant. *Εἰ διαφθερεῖτε τὸν δῆμον τῶν Μιτυληναίων, ὃς οὔτε μετέσχε τῆς ἀποστάσεως, ἐπειδή τε ὅπλων ἐκράτησεν, ἑκὼν παρέδωκε τὴν πόλιν — ἀδικήσετε τοὺς εὐεργέτας κτείνοντες.* Etiam post expeditionem in Siciliam factam, cum denuo in Lacedaemoniorum partes transirent Lesbii optimates, plebs fidem servavit Atheniensibus. Hinc intelligitur, cur legati ad Agidem de defectione profecti ab eo petant, ut missis navibus *subigat* insulam atque Atheniensibus *ereptam* Lacedaemoniis conciliet; hinc patet, cur post pugnam ad Piraeum portum factam Chii expeditionem adversus Lesbum susceperint, insulam *vi* ab Atheniensibus abalienaturi. Iis, quae de oligarchia Olympiade CVII. Mytilenes instituta apud Demosthenem legimus, illud significari putandum est, optimatum potentiam tum temporis eousque accrevisse, et ope aliena adiuti plebem opprimere summamque rerum sibi vindicare possent. Iam quaeritur, quinam iis temporibus, cum neque regum neque tyrannorum imperio subiecti essent Lesbii, muneribus publicis functi fuerint. Prytanes inde a regia dignitate abrogata in Mytilenaeorum civitate exstitisse videntur. [7]) De prytanibus Eresiis duobus certe libris exposuerat Phanias Eresius Aristotelis discipulus. [8]) Ex hoc in ceteris quoque Lesbi civitatibus prytanes fuisse colligi potest. Senatus (*βόλλα*) cum populo (*δάμῳ*) coniunctus occurrit in inscriptionibus, [9]) quae tamen non valde antiquae sunt. Vetustis-

---

[7]) Athen. X, p. 424. Eust. ad Hom. p. 1280, 27. Spon. Misc. Erudit. ant. p. 348. Num ex eorum numero eligebantur *πρόεδροι*, ad quos mandata Lacedaemoniorum a Salaetho perlata esse III, 25. scribit Thucydides? Cf. inscriptionem sellae marmoreae ap. Pocock. Descr. Orient. III. p. 15.

[8]) Athen. VIII. p. 333. A.

[9]) Spon. Misc. erudit. antiq. X, 79. p. 348. Sestini Viaggi p. 91. Pocock. inscr. ant. P. I. c. 4. s. 6. p. 45. Villois.

sima earum ad Alexandri Magni aetatem referenda videtur. In aliis monimentis solus δᾶμος nobis se offert, honores viris de republica bene meritis tribuens.[10]) In nummis, qui sub imperatoribus inde a Lucio Vero Mytilenes cusi sunt, nec non in inscriptionibus saepenumero exhibentur στρατηγῶν (*praetorum*) nomina. Non dubitandum στρατηγοὺς illos non solum rei militari praefectos fuisse, sed etiam aliis muneribus in civitate functos esse, quamvis silentibus scriptoribus certiora proferre nobis haud liceat.

2. Itinera maritima. Classis. Mercatura.

Eusebius in Chronico ad Num. CIↃCCCXLIV. Olymp. XXVI, 4. ita scribit: *Post Cares mare obtinuerunt Lesbii annis LXVIII*, quam epocham, in libro uno Num. CIↃCCCXXXIII. adscriptam, ad Ol. XXVI. 1. retraxit Scaliger, monente Heynio,[11]) qui miratur iam Olymp. XLIII. finiri epocham, quo *ipso* tempore per Pittacum Phrynonis Atheniensis in bello Sigeensi victorem maxime floruerit Mytilenaeorum respublica. Mihi quidem ea, quae ex Castoris Epochis tradidit Eusebius non tam mire, quam falso dicta videntur, cum Mytilenaeos post Olympiadis XLIII tempora non minus, quam ante illa, opibus navalibus viguisse compertum habeam. Etiam id iure meo perhi-

---

Mem. Acad. inscr. T. XLVII. p. 290. Van Dale Diss. V, p. 392. — Pocock. inscr. antiq. I, 4, 6. p. 46. Corsin. ex Chishulli schedis ap. Paciaud. Monim. Pelop. T. I, p. 87. Sestini Viaggi p. 95. — Pocock. inscr. antiq. I, 4, 6. p. 47. Corsin. apud Paciaud. l. l. p. 86. — Gruter. MXCI. 4. Van Dale Diss. p. 534. — Villois. Mem. Acad. inscr. T. XLVII, p. 318.

[10]) Pocock. inscr. antiq. I, 4, 6. p. 46. — Chishull. Antiq. Asiat. p. 186. Cayl. Rec. d'Ant. T. II. p. 186. Pocock. l. l.

[11]) Nov. Commentt. Gott. T. II, p. 58.

bere mihi videor, iam ante Olymp. XXVI, etsi non longinquis itineribus, mare tentasse Mytilenaeos. Urbium certe, quas circa Idam montem sitas a Cymaeis Lesbiisque constitutas dicit Strabo, permultae Olympiade XXVI. antiquiores sunt. Quando Aenum Thraciae urbem cum colonis navigaverint Mytilenaei ignoro. Locum Aeliani, quo maritimas Mytilenaeorum copias commemorat, antea attulimus. Milesiis bellum cum Polycrate Samio gerentibus πανστρατιῇ, Herodoto teste, auxilio profecti sunt Lesbii.[12]) Circa haec ipsa tempora crebris itineribus in Aegyptum pervenerunt Mytilenaei, quam ad rem statim redibimus. Cambysem cum in Aegyptum invasionem faceret navibus Mytilenaeis instructum fuisse ex Herodoto comprobari potest.[13]) Dario Hystaspis filio regnante Otanes copiarum maritimarum praefectus acceptis a Lesbiis navibus Lemnum atque Imbrum occupavit.[14]) Expeditioni ab Aristagora et Megabate contra Naxum susceptae duce Coë interfuerunt Mytilenaei et ad proelium apud Ladam insulam factam naves septuaginta ex Lesbo missae sunt.[15]) Histiaeo post Aristagorae necem fuga in Lesbum delato triremes octo subministrarunt Mytilenaei, quibus ille ad naves e Ponto venientes intercipiendas usus est.[16]) Xerxi expeditionem adversus Graeciam paranti Lesbii ceterique Aeoles secundum Diodori narrationem quadraginta naves auxilio miserunt; Herodoto teste, sexaginta.[17]) Belli Peloponnesiaci tempore viribus navalibus maxime floruerunt Lesbii, praesertim Mytilenaei. Hinc legati ex

---

[12]) Herodot. III, 39.
[13]) Lib. III, 13. 14.
[14]) Herodot. V, 26.
[15]) Herodot. VI, 8.
[16]) Herodot. VI, 5.
[17]) Herodot. III, 95. Diodor. IX, 196.

Lesbo ad Lacedaemonios missi ita loquuntur apud Thucydidem:[18]) *Βοηθησάντων ὑμῶν προθύμως πόλιν προςλήψεσθε ναυτικὸν ἔχουσαν μέγα.* Iidem legati classem illam praeter alias res in caussa fuisse dicunt, ut a Mytilenaeis adoriendis abstinerent Athenienses, reliquis sociis in servitutem redactis.[19]) Ad expeditionem a Pericle secundo belli anno contra Peloponnesum factam Lesbios et Chios naves quinquaginta misisse scribit Thucydides.[20]) Cum Athenienses anno decimo sexto belli Peloponnesiaci Melios invaderent, duas Lesbiorum naves in classe sua habuerunt[21]) et expeditionem adversus Siciliam Ol. XCI, 1. suscipientes Methymnaeorum navibus adiuti sunt.[22]) Ceterum omnes fere Lesbiorum naves, ut mihi quidem videtur, triremes fuerunt.[23])

Mytilenaeos re navali ceteris Lesbi civitatibus praestantes mercaturae magis quam illas operam navasse consentaneum est. Ea certe, quae in veterum scriptis de mercatura Lesbia tradita reperimus, ad solos Mytilenaeos pertinent. Herodoto narrante, Amasis Aegyptiorum rex, qui Graecis magnopere favebat, illis eorum, qui sedes in Aegypto figere vellent, Naucratim urbem habitandam concessit, iis vero, qui tantum mercaturae caussa in Aegyptum peterent, ut fana et delubra prope urbem exstruerent permisit. Tum Mytilenaeorum, Chiorum, Teiorum, Phocaeensium, Clazomeniorum, Rhodiorum, Cnidiorum, Halicarnassensium et Phaselitarum civitates communi consilio sumptuque Hellenium, templum maximum atque celeberrimum

18) Lib. III, 13.
19) Thucydides III, 11.
20) Lib. II, 56. VI, 34.
21) Thucydid. V, 84.
22) Thucydid. VII, 57.
23) Herodot. VI, 8. Thucydid. III, 3. 4.

mum, constituerunt.[24]) Mytilenaeos in Aegyptum mercandi caussa devenisse ex Strabone quoque intelligimus, qui vinum Lesbium a Charaxo Sapphus fratre Naucratim adlatum esse scribit.[25]) Ad vinum a negotiatoribus ex Lesbo Athenas aliosque locos deportatum spectant Alexidis poetae comici versus apud Athenaeum lib. I. p. 28. E.

Ἡδὺς ὁ Βρόμιος, τὴν ἀτέλειαν Λεσβίοις
ποιῶν, τὸν οἶνον εἰςάγουσιν ἐνθάδε·
ὃς δ' ἂν ἐς ἑτέραν ληφθῇ γ' ἀποστέλλων πόλιν
κἂν κύαθον, ἱερὰν ἐγγράφων τὴν οὐσίαν.

Casaubonus in primo versu *Λεσβίοις* pro vulgato *Λεσβίου* corrigens, *Fingebat*, inquit, *Alexis in aliquo dramate, exiisse Bacchi edictum: Ne quis Lesbiorum alio quam Athenas vinum deferret vaenum: qui secus faxit, illius bona universa Bacchi sacra sunto.* Schweighaeuserus Casauboni emendationem in textum recepit, in notis vero haec scripsit: *Non diffiteor, quod nunc quidem demum in mentem venit, potuisse forsitan, debuisseque adeo, eadem notione vulgatam etiam scripturam defendi, intelligendo* *ποιῶν τὴν ἀτέλειαν Λεσβίου* (scil. *οἴνου*) *τοῖς εἰσάγουσιν τὸν* (*id est*, *τοῦτον τὸν*) *οἶνον ἐνθάδε*: *qui immunitatem fecit Lesbii* (vini) *eis, qui illud vinum huc importarent. Quae ratio si placet, (et placebit puto plerisque) id etiam commodi habebit, quod sic non solos Lesbios immunes a vectigali dixerit poeta, si vinum suum Athenas adferrent; sed quicumque naucleri aut mercatores (sive illi Lesbii essent sive alii) quicumque, inquam, Lesbium vinum Athenas importarent, ii nullum pro eo vino vectigal solverent.* Ego Casaubonum sequor.

---

[24]) Herodot. II, 178. Steph. Byzant. s. v. *Ἔφεσος· ἔστι δὲ Ἔφεσος νῆσος ἐν τῷ Νείλῳ, καὶ Χῖος, καὶ Λέσβος, καὶ Κύπρος, καὶ Σάμος, καὶ ἄλλαι, ὡς Ἑκαταῖος.* Cf. Müller. Aeginet. p. 81.

[25]) Strabo XVII, p. 808. C. Cf. Athen. XIII, p. 596. B.

3. Moneta.

Antequam ad singularum civitatum nummos describendos accedam, haec moneo. Non omnes qui ex exstant laudatos esse primo adspectu apparet. Eos tantum qui mihi memoratu maxime digni visi sunt, ex Eckhelii, Mionneti aliorumque operibus de re nummaria conscriptis elegi. Consulto nunc omisi eos, qui in singulorum hominum, sive poetarum, sive virorum de republica bene meritorum honorem cusi sunt. Horum enim unusquisque postea suo loco afferetur et explicabitur.

Commemorabo primum eos qui inscriptione *KOINON ΛΕCΒΙΩΝ* seu *KOI. ΛΕCΒΙΩΝ* insigniti sunt. Hi omnes ad imperatorum pertinent tempora.

1. Adv. *ΑΥΤ. ΚΑΙ. Μ. ΑΥΡΗΛΙΟΝ* . . . . . *Caput M. Aurelii ad d.*
   Av. *KOI. ΛΕCΒΙΩΝ, Terminus in prora navis Palladem inter et Bacchum.*
2. Adv. . . . . *Caput M. Aurelii.*
   Av. *KOINON ΛΕCΒΙΩΝ. Templum decem columnarum.*
3. Adv. *ΚΟΜΟΔΟC. Caput Commodi laureatum, ad d.*
   Av. *ΕΠΙ CΤΡ. ΠΟΜΠΗΙΟΥ. ΡΟΥΦΟΥ KOI. ΛΕΣΒΙΩΝ. Templum octo columnarum.*[26])
4. Adv. *ΑΥΡΗ. ΚΟΜΟΔΟC. Caput Commodi laureatum, ad d.*
   Av. *ΕΠΙ. CΤΡΑ. ΕΕΠΤ. ΑΡΙΑΝΟΥ. ΚΟΙΝΟΝ. ΛΕCΒΙΩΝ. Imperator stans, veste militari ornatus, dextra manu hastam tenens, quem mulier pone stans coronat.*[27])
5. Adv. *ЄΠΙ. CΤΡ. CЄΠΤ. ΑΡΙΑΝΟΥ. KOI. ΛЄCΒΙΩΝ. Bacchus nudus stans ab adstante muliere aram*

---

[26]) Mionnet. T. III, p. 34.
[27]) Mionnet. l. l. p. 35.

ignitam accepiat, iacet infra vir barbatus inter undas, s. remum tenens. Commodi.[28])

Mytilene.

I. Nummi autonomi.

1. Adv. *Caput Apollinis laureatum.*
   Av. *MYTI. vel. MY. Lyra intra quadratum.* AR. I. III.[29])
2. Adv. *Caput imberbe laureatum ad d.*
   Av. *MYTI. Lyra, a d. clava, a s. caduceus, omnia in area quadrata.* AR.[30])
3. Adv. *Caput idem.*
   Av. *MY. Typus idem, a s. thyrsus, omnia in area quadrata.* AR.
4. Adv. *Caput idem.*
   Av. *MYTI. Typus idem, a d.* B. *a s. fulmen.* AR.[31])
5. Adv. *Caput idem.*
   Av. *MY. Figura stans a fronte, d. ramum, in area ramus.* AE. II.[32])
6. Adv. *Caput barbatum et laureatum ad d.*
   Av. *MYTI. in corona laurea.* AE. II.[33])
7. Adv. *Caput imberbe laureatum ad d.*
   Av. *MY. Lyra in corona laurea.* AE. II.[34])

---

28) Eckhel. Doctr. numm. P. I, Vol. 2. p. 501.
29) Eckhel. l. l. p. 503.
30) Rasche lex. rei numm. III, 1. p. 1018. Mionnet. III, p. 43. nr. 77.
31) Rasche l. l.
32) Rasche l. l.
33) Rasche l. l.
34) Rasche l. l.

8. Adv. *Caput imberbe laur. ad d. cum capite parvo muliebri recusum.*
Av. *MYTI. Lyra, in area mon.* AE. II. [35])

9. Adv. *Caput muliebre ad d.*
Av. *MYTI. Lyra.* AE. III. [36])

10. Adv. *Caput muliebre.*
Av. *MYTIΛH. Lyra.* AE. III. [73])

11. Adv. *Caput muliebre ad d.*
Av. *MYTI. Lyra, a d. caput aquilae, a sin. mon.* AE. III. [38])

12. Adv. *Caput imberbe laureatum ad d.*
Av. *MY. Tripus in area .... YPAΓΩ.* AE. III. [39])

13. Adv. *Caput Iovis Ammonis.*
Av. *MYTI. Herma supra prora navis, in area botrys.* AE. III. [40])

14. Adv. *Caput Iovis Ammonis ad d.*
Av. *MYTI. Terminus modio et hedera ornatus, prorae navis impositus, ad d. acrostilium, a sin. uvae racemus.* AE. II.

15. Adv. *Caput fere idem.*
Av. *MY. Terminus prorae navis impositus, hinc et illinc uvae racemus.* AE. II. [41])

16. Adv. *Caput Iovis Ammonis diadematum cornutum.*
Av. *MYTI. Herma, in area monogramma et folium hederae.* AE. III. [42])

---

[35]) Rasche l. l.
[36]) Rasche l. l.
[37]) Rasche l. l.
[38]) Rasche III, 1. p. 1019.
[39]) Rasche l. l.
[40]) Rasche l. l.
[41]) Rasche l. l.
[42]) Rasche l. l.

17. Adv. *Caput imberbe vitta redimitum, et cornu more Iovis Ammonis ornatum. ad d.*
Av. *ΜΥΤΙ. Terminus a sin. mon.* AE. III.[43])

18. Adv. *Caput Iovis Ammonis cornu arietino.*
Av. *ΜΥΤΙΛΗΝΑΙΩΝ. statua vel herma corona radiata in navi.* AE. III.[44])

19. 20. *Alii cum primis litteris ΜΥΤ. et Diana ex navi.* AE. II. III.[45])

21. Adv. *Caput imberbe diadematum, quod Apollinis esse dicitur.*
Av. *ΜΥΤΙ. Statua capite nudo inter monogramma ΑΦ. et lyram.* AE.[46])

22. Adv. *Templum quatuor columnarum cum scala et in eo simulacrum stans.*
Av. *ΜΥΤΗ.* (sic) *Cithara.* AE.[47])

23. Adv. *ΜΥ. Caput muliebre coronatum spicis.*
Av. *Cetra in laurea.* AE. IV.[48])

24. Adv. *ΖΕΥϹ ΒΟΥΛΑΙΟϹ. Caput Iovis.*
Av. *ΘΕΟΙ ΑΚΡΑΙΟΙ ΜΥΤΙΛΗΝΑΙΩΝ. Iuppiter, Neptunus, Pluto stantes.*[49])

25. Adv. *ΠΡΩΤΗ ΛΕϹΒΟΥ ΜΥΤΙΛΗΝΗ. Caput muliebre turritum.*
Av. *ΟΜΟΝΟΙΑ ΜΥΤΙΛΗΝΑΙΩΝ. Mulier adversa capite tutulato sedens d. pateram, s. quid oblongum, ei a dextris adstat Aesculapius, a sinistris Diana Ephesia, sequitur a dextris Nemesis, a sinistris Nemesis alia.* AE. I.[50])

---

[43]) Rasche l. l.
[44]) Rasche l. l.
[45]) Rasche l. l.
[46]) Rasche p. 1020.
[47]) Rasche l. l.
[48]) Rache l. l.
[49]) Eckhel. l. l. p. 504.
[50]) Eckhel. p. 505.

Designatur hoc nummo Mytilenaeorum concordia cum *Pergamenis*, *Ephesiis*, *Smyrnaeis*.

II. Nummi imperatorii.

A. *Tiberii et Augusti.*

Adv. *TI. ΘΕΟC. CΕΒΑCΤΟC. ΜΥΤΙ. Caput Tiberii laureatum.*

Av. *ΘΕΟC. CΕΒΑCΤΟC. ΚΑΙCΑΡ. Caput Augusti radiatum.*[51])

B. *Tiberii et Iuliae.*

Adv. *TI. ΘΕΟC. CΕΒΑCΤΟC. Caput Tiberii nudum iuxta ΜΥΤΙ.*

Av. *ΙΟΥ. ΘΕΑC CΕΒΑCΤΗC. Caput Iuliae iuxta ΜΥΤΙ.*[52])

C. *Caii et Lucii.*

Adv. *ΓΑΙΟΝ ΜΥΤΙ. Caput Caii, M. Agrippae filii.*

Av. *ΛΕΥΚΙΟΝ. Caput Lucii fratris.* AE. III.[53])

D. *Caligulae et Drusillae.*

Adv. *ΓΑΙΟC. CΕΒΑCΤΟC. ΜΥΤΙ. Huius caput nudum.*

Av. *ΔΡΟΥCΙΛΛΑ CΕΒΑCΤΗ. ΜΥΤΙ. Drusillae caput vitta ornatum.* AE. III.[54])

E. *Caligulae et Iuliae Germanici filiae.*

Adv. *ΙΟΥΛΙΑΝ ΝΕΑΝ ΓΕΡΜΑΝΙΚΟΥ ΜΥΤΙ. Caput huius Iuliae, Caligulae sororis, nudum.*

Av. *Γ. ΚΑΙCΑΡΑ CΕΒΑCΤΟΝ ΜΥΤΙ. Caligula st. velatus ritu sacrificantis, d. pateram tenet.* AE. III.[55])

---

[51]) Mionnet. T. III. p. 48. nr. 128.

[52]) Eckhel. l. l.

[53]) Rasche l. l. p. 1024.

[54]) Rasche p. 1025.

[55]) Rasche l. l.

F. *Matidiae filiae Marcianae.*

Adv. *MATIΔIA. MTTI.* *Caput Matidiae.*

Av. *ΠΑΝΚΡΑΤΙΔΗC Aesculapius stans.* AE. II.[56])

Matidiae et Plotinae.

Adv. *MATT. CЄB. ΠΛΩΤT. CЄB.* (sic) *Capita adversa Matidiae et Plotinae.*

Av. *ΑΡΤΕΜΙΣ ΠЄΡΓΑΙΑ MTTI. Diana venatrix comite cane.* AE. I.[57])

G. *Claudii.*

Adv. *ΚΛΑΥΔΙΟCΚΑΙCΑΡ. Caput Claudii laureatum.*

Av. . . . . . *MTTI. Apollo stola indutus, st. ramum laureum manu tenens.*[58])

H. *Vespasiani filiorumque.*

Adv. . . . . . *CIANOC. CЄBACTOC. Caput laureatam iuxta MT.*

Av. *TITOC. KAICAP. ΔOM . . . Caput Titi laureatum, caput Domitiani nudum.*[59])

I. *Domitiani et Domitiae.*

Adv. *ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΩ ΔΟΜ . . . . Domitiani et Domitiae capita.*

Av. . . . . . *MTTI. Apollo st. stola indutus, s. ramum tenet.*[60])

K. *Hadriani.*

1\. Adv. *ЄΠΙ CTPA. CЄBAC. Hadriani caput laureatum.*

---

[56]) Eckhel. l. l.

[57]) Eckhel. l. l.

[58]) Mionnet. III, p. 49. nr. 126.

[59]) Mionnet. III, p. 49. nr. 127.

[60]) Mionnet III, p. 59. nr. 128.

Av. *ΜΥΤΙΛΗΝΑΙΩΝ. Diana venatrix st. succincta, d. telum e pharetra dorso adpensa promit, s. arcum praetendit.* AE. max.

2. Adv. *ΑΥΤΟ. ΚΑΙ. ΤΡΑΙΑΝ. ΑΔΡΙΑΝΟϹ ϹЄΒΑ. Hadriani caput.*

Av. *ΜΥΤΙΛΗΝΑΙΩΝ. Ceres tunicata st. utraque taedam.* AE. max.[61])

L. *Antonini Pii.*

Adv. . . . . *ΙΑ. ΑΔΡ . . . . ΑΝΤΩΝΕΙΝΟϹ. Caput Antonini nudum.*

Av. *ΟΜΟΝΟΙΑ. ΜΥΤΙΛΗΝΑΙΩΝ ΚΑΙ ΠЄΡΓΑΜΗΝΩΝ. Mulier turrita et Aesculapius stantes dextras iungunt.*[62])

M. *M. Aurelii.*

Adv. *Ι . . . . ΑΥ. ΚΑΙϹΑΡ. Caput illius imberbe.*

Av. *ΜΥΤΙΛΗΝΑΙΩΝ. Mulier tutulata stans.* AE. V.[63])

N. *Lucii Veri.*

1. Adv. *ΛΟΥΚΙΟϹ ΑΥ. ΚΑΙϹΑΡ. Huius caput imberbe.*

Av. *ΜΥΤΙΛΗΝΑΙΩΝ. Deus Terminus supra prora navis.* AE. IV.

2. Adv. *ΑΥΤ. Κ. Λ. ΑΥΡΗΛΙΟϹ ΟΥΗΡΟϹ. Capite laureato.*

Av. *ΜΥΤΙΛΗΝΑΙΩΝ. Imp. eques hastam protendit.* AE. I.[64])

3. Adv. *ΑΥ. ΚΑΙ. Λ. ΑΥΡΗΛΙΟϹ. ΟΥΗΡΟϹ ΑΡΜΗΝΙ. Caput L. Veri laureatum cum paludamento et thorace.*

---

[61]) Rasche l. l. p. 1026.

[62]) Mionnet. III, p. 52. nr. 139.

[63]) Rasche l. l.

[64]) Rasche p. 1027.

Av. ЄΠΙ ΜЄΝЄΚΡΑΤΟΥ ΜΥΤΙΛΗΝΑΙΩΝ ΚΑΙ ΑΔΡΑΜΥΤΤΗΝΩΝ ΟΜΟΝΟΙΑ. *Mulieres duae turritae stantes dextras iungunt, altera sceptrum s. tenet, altera infantem fasciis involutum.* [65])

O. *Commodi.*

1. Adv. *ΑΥΤΟΚΡΑ. Κ. Λ. ΑΥΡ. ΚΟΜΜΟΔΟϹ. Huius caput laureatum et pectus chlamyde ornatum.*
   Av. *ΕΠΙ ϹΤΡ. Μ. ΑΥΡΗ ΠΡΩΤЄΟΥ ΜΥΤΙΛΗΝΑΙΩΝ. Imperator paludatus eques cum hasta, pone coronatur a Victoria ante tropaeum, iuxta quod barbari captivi, quorum alter stans manibus terga revinctis, alter humo procumbens.* AE. max. [66])
2. Adv. . . . *ΩΝΕΙΝΟ. ΚΟΜ* . . . . . *Caput Commodi nudum.*
   Av. *ΕΠΙ ϹΤΡΑ. ΑΥΡΗ.* . . . *ΤΕΟΥ ΜΥΤΙΛΗΝΑΙ. Vir nudus st. d. pateram, s. baculum, in area dimidia navis.* AE. I. [67])
3. Adv. *ΑΥ. ΚΑΙ. Μ. ΑΥΡΗΛΙΟϹ ΚΟΜ. Capite laureato.*
   Av. *ΕΠΙ ϹΤΡ. Μ. ΑΝΤ. ΤΡΙΦΩΝΟϹ* (sic) *ΜΥΤΙΛΗΝΑΙΩΝ. Aesculapius sedens, s. baculum, cui serpens involutus.* AE. max. [68])
4. Adv. *ΑΥΤΟ. ΚΑΙ. Μ. ΑΥ* . . . *ΚΟΜΟ* . . . . . *Caput Commodi laureatum, paludamentum et thorax.*
   Av. *ЄΠΙ Ϲ* . . . . . *ЄΓ. ΜЄΝЄΜΑΧΟΥ ΜΥΤΙΛΗΝΑΙΩΝ. Bacchus st. s. thyrsum, d. cantharum tenens in ara, cui ignis impositus*

---

[65]) Mionnet. III, p. 52. nr. 143.
[66]) Rasche l. l.
[67]) Rasche p. 1028.
[68]) Rasche l. l.

est, sacrificium facit. Ex adverso mulier parvam statuam manibus tenens. [69])

P. *Commodi et Crispinae.*

Adv. *ΑΥΤ. Κ. ΑΥΡΗ. ΚΟΜΜΟΔΟϹ ΒΡ. ΚΡΙϹΠΙΝ. ϹΕΒ. Eorum capita iuxta se posita.*

Av. *ΕΠΙ. ΑΙ. ΠΟΝΤΙΚΟΥ ΜΥ. ΒΥΖΑΝΤΙΩΝ. Galea cum taeniis.* [70])

Q. *Titianae uxoris Pertinacis.*

Adv. *ΤΙΤΙΑΝΗ ϹΕΒΑϹΤΗ. Caput Titianae.*

Av. *ΜΥΤΙΛΗΝΑΙΩΝ. Maritus Pertinax eques.* AE. I. [71])

R. *Sept. Severi.*

1. Adv. *ΑΥΤΟ. ΚΑΙ. Λ. ϹΕΠ. ϹΕΟΥΗΡΟϹ ΠΕΡΤΙΝΑΞ. Caput illius laureatum, pectus thorace armatum.*

Av. *ΕΠΙ ϹΤΡ. ΑΡΤΕΜΩΝΟϹ ΤΟΥ ϹΕ . . . ΜΥΤΙΛΗΝΑΙΩΝ. Mulier turrita in sella sedens, d. pateram.* AE. max. [72])

2. Adv. *ΑΥΤ. Κ. Λ. ϹΕΠΤ. ϹΕΟΥΗΡΟϹ ΠΕΡΤΙΝΑΞ. Huius caput.*

Av. *ΕΠΙ ϹΤΡΑ. ΑΡΤΕΜΩΝΟϹ ΤΟΥ ϹΕΚΟΥΝ. ΜΥΤΙΛΙΝΑΙΩΝ.* (sic) *Imperator st. ante aram, d. pateram, s. parazonium, adstat Victoria eum coronans.*

S. *Caracallae.*

1. Adv. *ΑΥ. ΚΑΙ. Μ. ΑΥΡ. ΑΝΤΩΝΕΙΝΟϹ. Capite laureato.*

---

[69]) Mionnet, III, p. 54.

[70]) Rasche p. 1029.

[71]) Eckhel. l. l. p. 505.

[72]) Rasche p. 1030.

[73]) Rasche l. l. Mionnet. III, p. 56. nr. 163. qui *ΜΥΤΙΛΗΝΑΙΩΝ* legit.

Av. *ΕΠΙ ΣΤΡ. ΑΠΕΛΛΟΥ Β ΜΕΝΕΜΑΧΟΥ ΜΥΤΙΛΗΝΑΙΩΝ. Imperator paludatus st. cum parazonio coronatur a Victoria, quae sinistra palmam gerit.* AE. max.[74])

2. Adv. *ΑΥ. Κ. Μ. ΑΥΡ. ΑΝΤΩΝΕΙΝΟΣ. Caput Caracallae laur.*

Av. *ΕΠΙ ΣΤΡ. ΑΠΕΛΛΟΥ Β ΜΕΝΕΜΑΧΟΥ ΜΥΤΙΛΗΝΑΙΩΝ. Diana venatrix gradiens, d. telum, s. arcum, pro pedibus canis.* AE. max.[75])

T. *Elagabali.*

1. Adv. *ΑΥΤ. Κ. Μ. . . . . . Caput Elagabali laur.*

Av. . . . . . *ΜΣΤΠΤΑΜΟΥ* (sic) *ΜΥΤΙΛΗΝΑΙΩΝ, Diana venatrix gradiens, d. telum e pharetra promit, s. arcum praetendit, comitante cane,* AE. I.[76])

Elagabali et Aquiliae.

Adv. *ΑΥΤ. Κ. Μ. ΑΥΡ. ΑΝΤΩΝΕΙΝΟΣ. ΘΕΑ. ΙΟΥΛΙΑ ΑΚΥΛΙΑ. Caput Elagabali laureatum capiti Aquiliae oppositum.*

Av. *ΜΥΤΙΛΗΝΑΙΩΝ. Aedes quatuor columnarum, in qua imperator sacrificat adstante citharoedo.* AE. Pulcherrimus, quem Mytilenaei Elagabalo et Aquiliae cuderunt, Iuliam Aquiliam adulantes *ΘΕΑΝ* vocant, Elagabalus sacerdos Solis, ut in aliis compellatur nummis, numini Syrio El Gabal seu Soli, unde nomen habuit, sacrificat.[77])

U. *Maesae.*

Adv. *ΙΟΥΛ. ΜΑΕΣΑ* (sic) *ΑΥΓΟΣΤΑ* (sic) *Caput illius.*

---

[74]) Rasche 1032. Mionnet. III. p. 57.

[75]) Rasche l. l.

[76]) Rasche p. 1033. Mionnet. III. p. 58. nr. 176.

[77]) Rasche p. 1033.

Av. . . : *ΧΡΥΣΟ . . . ΜΥΤΙΛΗΝΑ. Diana succincta gradiens, d. elata versus pharetram, s. arcum, ad pedes canis venaticus currens.* AE.I.[78])

V. *Alexandri Severi.*

Adv. *Caput Severi.*

Av. *ΕΠΙ CTP. ΑΥΡ. ΠΡΟCΛΕΚΤΟΥ ΠΑΡΔΟΛΟΥ ΜΥΤΙΛΗΝΑΙΩΝ. Diana venatrix, d. spiculum, s. arcum, pro pedibus canis.* AE.II.[79])

X. *Valeriani sen.*

1. Adv. *ΑΥΤ. Κ. Π. ΛΙΚ. ΒΑΛΕΡΙΑΝΟC. Capite laureato.*

Av. *ЄΠΙ C. ΒΑΛ. ΑΡΙCΤΟΜΑΧΟΥ ΜΥΤΙΛΗΝΑΙΩΝ. Diana in curru duorum cervorum, d. sagittam e pharetra dorso adpensa depromit, s. arcum tenet.* AE. max.[80])

2. *Ead. adv.*

Av. *ΕΠΙ CTP. ΒΑΛ. ΑΡΙCΤΟΜΑΧΟΥ ΜΥΤΙΛΗΝΑΙΩΝ. Bacchus st. d. cantharum, s. thyrsum.* AE. I.[81])

3. Adv. *ΑΥΤ. Κ. Π. ΛΙΚ. ΟΥΑΛΕΡΙΑΝΟC. Capite laureato ad pectus cum lorica, s. clypeum tenens.*

Av. *ЄΠΙ C. ΒΑΛ. ΑΡΙCΤΟΜΑΧΟΥ ΜΥΤΙΛΗΝΑΙΩΝ. Diana venatrix in bigis cervorum, d. sagittam e pharetra producit, s. arcum protendit.*[82])

---

78) Rasche l.l. Mionnet. p. 89. qui tamen *ΜΛΙCΑ* legit atque *ΑΥΓΟΥCΤΑ.*

79) Rasche p. 1034. Mionnet. l.l.

80) Rasche l.l. Mionnet. l.l.

81) Rasche l.l.

82) Rasche l.l.

4. Adv. *ΑΥΤ. Κ. Π. ΛΙΚ. ΟΥΑΛΕΡΙΑΝΟϹ. Illius caput laureatum, ad pectus cum lorica, cum spiculo inverso, manibus non comparentibus.*

Αv. *ΕΠΙ ϹΤ. ΒΑΛ. ΑΡΙϹΤΟΜΑΧΟΥ ΟΜΟ ΜΥΤΙΛΗΝΑΙΩΝ ΚΑΙ ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ. Aesculapius st. cum attributis et mulier turrita sedens, d. pateram, s. puerulum fasciis involutum tenet.* AE. I.[83])

5. Adv. Ead. epigr. *Caput Valeriani cum clypeo et hasta.*

Αv. *ΕΠΙ ϹΤΡ. ΒΑΛ.* cetera ut in prioribus. *Idem Aesculapii st. cum baculo, cui serpens involutus est, et mulieris cum parvulo fasciis involuto typus.* AE. I.[84])

Z. *Gallieni.*

1. Adv. *ΑΥΤ. Κ. Π. ΛΙΚ. ΓΑΛΛΙΗΝΟϹ.*

Αv. *ΕΠΙ ϹΤΡ. ΒΑΛ. ΑΡΙϹΤΟΜΑΧΟΥ ΜΥΤΙΛΗΝΑΙΩΝ. Mulier turrita sedens, d. pateram, s. puerulum in fasciis.* AE. I.[85])

2. Adv. *ΑΥ. Κ. Π. Λ. ΓΑΛΛΙΗΝΟϹ. Caput laureatum.*

Αv. *ΕΠΙ ϹΤΡ. ΒΑΛ. ΑΡΙϹΤΟΜΑΧΟΥ ΜΥΤΙΛΗΝΑΙΩΝ. Diana venatrix gradiens, quam sequitur canis.*[86])

Methymna.

I. Autonomi.

1. Adv. *ΜΑΘΥΜΝΑΙΟΣ. Caput Palladis intra quadratum.*

Αv. *ΜΑΘΥΜΝΑΙΟΣ. Aper.* AR. II.

---

[83]) Rasche l. l. p. 1033.

[74]) Rasche l. l.

[85]) Rasche l. l.

[86]) Mionnet. III, p. 60. nr. 185.

2. Adv. *Caput Palladis intra quadratum.*
Av. *ΜΑΘΥΜΝΑΙΩΝ. Aper.* AR.II.[87])

Nummi hi teste Eckhelio propter remotae vetustatis characteres inter praestantissimos huius urbis habendi sunt. Aprum, cuius inscripti caussam reperire nequit Eckh. ad Dianae cultum probabiliter refert Rasche.

3. Adv. *Caput Palladis.*
Av. *ΜΑΘΥ Lyra.* AE.III.[88])

4. Adv. *Caput Palladis.*
Av. *ΜΑΘΥ vel ΜΑ. Diota.*[89])

5. Adv. *Caput Apollinis.*
Av. *ΜΑΘΥ. Arion delphino vectus d. extenta plectrum, s. lyram.* AE.II.[90])

6. Adv. *Caput Bacchi adversum.*
Av. *ΜΑΘΥ. iuxta ΑΩΝ intra coronam hederaceam.* AE.II.

Ita nummum describit Eckhelius.[91]) Mionnet. litteras *ΑΩΝ* tria coronae hederaceae folia esse dicit.[92])

II. Nummi imperatorii.

A. *Augusti et Liviae.*

Adv. *ΣΕΒΑΣΤΟΣ ΜΑΘΥ. Caput Augusti nudum.*
Av. *ΘΕΑ ΛΙΒΙΑ. Caput Liviae.*[93])

---

87) Eckhel. Doctr. numm. P. I. Vol. 2. p. 502. Rasche Lex. num. III, I. p. 625.

88) Eckhel. l.l. Rasche l.l. Mionnet. III. p. 38.

89) Eckhel. l.l. Rasche l.l. Mionnet. p. 39. qui quinque similes addit.

90) Eckhel. l.l. Mionnet. l.l.

91) l.l.

92) Mionnet. l.l.

93) Mionnet. l.l. Eckhel. l.l.

B. *Caii et Lucii.*

Adv. *CEBACTOC.* *Caput Augusti nudum.*
Av. *AΛΕΞΑΝΔΡΟC ΜΑΘΥΜΝΑΙΩΝ.* *Caii Lucii capita.* [94])

C. *Domitiani.*

Adv. *Caput Domitiani.*
Av. *ΜΗΘΥΜΝΑΙΩΝ.* *Mulier st. d. pateram, s. cornu copiae.* AE. III. [95])

D. *Traiani.*

Adv. *ΤΡΑΙΑΝΟC ΚΑΙCΑΡ.* *Eius caput laureatum.*
Av. *ΜΑΘΥ.* *Lyra.* AE. III. [96])

E. *Faustinae Iun.*

1. Adv. *Faustinae caput.*
Av. *ΜΗΘΥΜΝΑΙΩΝ.* *Iupiter nudus st. d. aquilam, s. palmam.* AE. I.
2. Adv. *ΕΠΙ CΤΡ. Β ΛΟΛΛΙΑΝΟΥ ΜΕΘΥΜΝΑΙΩΝ.* *Idem Iovis st. typus.* [97])

F. *L. Veri.*

Adv. *ΜΗΘΥΜΝΑΙΩΝ.* *Arion delphino insidens.* [98])

G. *Commodi.*

Adv. *ΚΟΜΜΟΔΟC.* *Huius caput laureatam.*
Av. *ΜΥΘΥΜ.* (sic) *Arion insidens delphino, d. elata, s. cetram.* AE. III. [99])

H. *Sept. Severi.*

Adv. *Caput Septimii Severi laureatum.*

---

[94]) Mionnet. p. 40.
[95]) Rasche p. 626.
[96]) Rasche l. l.
[97]) Rasche l. l.
[98]) Rasche l. l.
[99]) Rasche l. l.

Av. *ΕΠΙ ΣΤΡ . . . ΝΕΙΚΟΜΗΔΕΟΥΣ ΜΗΘΥΜΝΑΙΩΝ. Pallas galeata st. d. hastam, s. innixa clypeo; ex adverso Bacchus d. poculum vel cantharum s. thyrsum, ad pedes tigris.* AE. I.[100])

I. *Caracallae.*

Adv. *Α. Κ. Μ. ΑΥΡ. ΑΝΤΩΝΙΝ. Caput laureatum Caracallae.*

Av. *ΜΗΘΥΜΝΑΙΩΝ. Fortuna st.*[101])

K. *Getae.*

Adv. *Α. ΣΕΠ. ΓΕΤΑΣ Κ. Caput nudum.*

Av. *ΜΕΘΥΜΝΑΙΩΝ. Neptunus st. d. delphinum, s. tridentem.* AE. III.[102])

L. *Alexandri Severi.*

Adv. *Α. Κ. Μ. Α. Σ. ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΣ. Eiusdem caput laur.*

Av. *ΕΠΙ ΣΤΡ. Β. ΛΟΛΛΙΑΝΟΥ ΜΗΘΥΜΝΑΙΩΝ. Mulier galeata insidens spoliis d. victoriolam, s. hastam.*

2. Adv. *ΕΠΙ ΣΤΡ. Β. ΛΟΛΛΙΑΝΟΥ ΜΗΘΥΜΝΑΙΩΝ. Iupiter nudus st. d. aquilam, s. hastam.*[103])

Eresus.

I. Nummi dubii.

Adv. *Caput Cereris spicis ornatum.*

Av. *E intra coronam spiceam.* AR. III.

Sestinus teste Eckhelio istud nummorum genus

[100]) Rasche p. 627.
[101]) Mionnet. III, p. 41.
[102]) Rasche l. l.
[103]) Rasche l. l.

nus in Lesbo reperiri negat et tribuendum potius Eretriae urbi Euboeae indicat. Eamdem sententiam profert Mionnet,[104]) septem eiusmodi nummos laudans.

II. Nummi autonomi.

Adv. *Caput iuvenile pileo plano tectum.*
Av. *ΕΡΕΣΙ. Spica.* AE. III.[105])

Caput illud Mercurii esse arbitratur Mionnet.[106])

Adv. *Caput virile diadematum.*
Av. *ΕΡΕΣΙΩΝ. Tripus.* AR. III.[107])

Adv. *Caput Proserpinae spicis coronatum.*
Av. *ΕΡΕΣΙ. Diota intra coronam spiceam.*[108])

Spicarum nummis Eresiis insculptarum caussa est hordeum, cuius feracem fuisse Eresum, comprobant Archestrati versus apud Athenaeum, laudati a nobis p. 6. Diotam vini Eresii, ut equidem opinor, intulit praestantia, de qua mentionem facit Galenus.[109])

III. Nummi imperatorii.

Hadriani.

Adv. *ΑΥΤ. ΚΑΙ. ΤΡΑ. ΑΔΡΙΑΝΟΝ. Simulacrum Hadriani pectore tenus effictum lauroque coronatum.*
Av. *ΕΡΕϹΙ. Signum Palladis.*

Antissa.

Adv. *Caput iuvenile diadematum, in aliis laureatum.*

---

[104]) III, p. 36 sq.

[105]) Eckhel. p. 501.

[106]) III, p. 3.

[107]) Eckhel. l. l. Mionnet. l. l.

[108]) Mionnet. l. l.

[109]) De curandi ratione lib. XII. Pars IV. p. 166. edit. Basil.

Av. *ANTIΣ. Caput promissa barba in cuspidem abeunte, ceterum peregrino cultu.* AE. III. De hoc nummo, quo Sapphonem exhiberi putant, ubi ad poetriae Lesbiae res enarrandas pervenerimus, plura dicemus.

Nape.

Adv. *Caput Apollinis laureatum.*

Av. *NAΠ. Tigris st. pede sinistro versus palmam elato.* [110])

Apollinem a Napaeis cultum perhibent Steph. Byz. et Suid s. v. *Νάπη* et Macrob. Sat. I, 17.

---

[110]) Mionnet. T. III, p. 60.

CAPUT QUARTUM.

1. Res sacrae.

E religionibus Apollinis, inde ab antiquo tempore summis in Lesbo honoribus ornati, disputationis nostrae initium ducimus. Dei cultus Aeolum colonis antiquior, ex vicina continente in insulam immigrasse existimandus est. Docuit Müllerus[1]) Cretenses, qui ut Dores Apollinem maximopere venerabantur eique in oris maris Aegaei, quod crebris tentarunt itineribus, innumera exstruxerunt altaria, in Lycia ad Xanthum fluvium, ad Miletum in terra quam tum temporis tenebant Cares, ad Clarum nec non in Troade templa constituisse celeberrima. Ex his locis tum in multas alias Asiae minoris regiones, tum in Lesbum illatus est cultus Apollineus. Proclo teste, in Aethiopide narraverat Arctinus, Achillem interfecto Thersite in Lesbum navigasse ibique, sacrificiis Apollini, Dianae et Latonae factis, ab Ulysse expiatum esse.[2]) Cillaei Apollinis templum in Lesbo fuisse intelligimus ex Strabone lib. XIII. p. 612. Ἐν δὲ τῇ Ἀδραμυττηνῇ ἐστὶ καὶ ἡ Χρύσα καὶ ἡ Κίλλα· πλησίον οὖν τῆς Θήβης ἐστὶ νῦν Κίλλα τις τόπος λεγόμενος, ἐν ᾧ Κιλλαίου Ἀπόλλωνός ἐστιν ἱερόν· παραῤῥεῖ δ' αὐτῷ ἐξ Ἴδης φερόμενος ὁ Κίλλαιος ποταμός· ταῦτα δ' ἐστὶ κατὰ τὴν Ἀντανδρίαν· καὶ τὸ ἐν Λέσβῳ δὲ Κίλλαιον ἀπὸ ταύτης τῆς Κίλλης ὠνό-

[1]) Hist. Gent. Dor. I. p. 219 sqq.

[2]) Bib. vet. litt. et art. fascic. I. p. 53. int. inedit.

μασται. Fanum illud Apollinis Cillaei, Thebae vicinum, a quo Lesbio nomen inditum esse perhibet Strabo, unum est ex illis quae in Troade condiderunt coloni Cretenses. Cultus Apollinis Maloëntis, cui a cunctis Mytilenaeis extra urbem feriae agebantur, a Claro repetendus est, quod e mythographorum apparet narrationibus. Aiunt nempe cultum illum institutum esse a Melo sive Malo, filio Mantus, quae patrem habuit Tiresiam. Stephanus Byzantius: *Μαλόεις Ἀπόλλων ἐν Λέσβῳ· καὶ ὁ τόπος τοῦ ἱεροῦ Μαλόεις, ἀπὸ τοῦ Μήλου τῆς Μαντοῦς, ὡς Ἑλλάνικος ἐν Λεσβικῶν πρώτῳ.* Clarii vero Apollinis oraculum ab ipsa Manto conditum perhibetur, quam Delphis Colophonem missam Rhacio Cretensi nupsisse tradunt. Ceterum *Μαλόεις* in Stephano Byzantio non bene duplici λ a Berkelio scriptum esse, ad Hellanici Lesbii fragmenta p. 90 sq. recte animadvertit Sturzius. Per simplex λ nomen illud exaravit Thucydides. Conferendus locus Aristotelis ex libro de ventis, laudatus a nobis p. 16. Memoriam Apollinis a Mytilenaeis musices amantissimis culti servant etiam nummi, tam autonomi,[3] quam imperatorii sub Claudio,[4] Domitiano[5] aliisque cusi. Apollinis templum in Lepetymno monte situm, cuius meminit Antigonus Carystius (c. XVII.) sine dubio condiderunt Methymnaei, in quorum civitate, quae Arionem tulit, deum illum maxima veneratione gavisum esse, tum per se consentaneum est, tum nummi comprobant.[6] Apollinis Eresii meminit Hesychius, apud quem pro *Ἐρέσειος* corrigendum *Ἐρέσιος*, monente Is. Vossio. Napaeos, oppidi in Methymnae vicinia siti cives, coluisse Apollinem testantur Stephanus Byzan-

---

[3]) Eckhel. doctr. numm. P. I. Vol. 2. p. 503.

[4]) Mionnet. III. p. 49. nr. 126.

[5]) Mionnet. III. p. 50. nr. 128. Cf. Eckhel. l. l.

[6]) Eckhel. l. l. Mionnet. III. p. 39.

tius,[7]) Suidas[8]) et Macrobius.[9]) Apollo *Γονναπαῖος* de cuius nominis origine mihi non liquet, obiicitur nobis apud schol. Aristophanis ad Nub. 144. *Ἐν Λέσβῳ δὲ Γονναπαίου Ἀπόλλωνος ὁ δοθεὶς Πέκοπι, αἰτοῦντος αὐτὸν ἀνάθημα τοῦ θεοῦ τὴν ἄρνα τὴν χρυσῆν, ἕτερα παρέχοντα κειμήλια. ἔστι δ' οὕτως·*

ὃ βούλομαι, δός· μὴ δίδου δ', ὃ μὴ θέλω.

φέρει δὲ τὸν χρησμὸν τοῦτον Ἀντικλείδης ἐν τοῖς νόστοις.

Honoribus Apollini in Lesbo tributis haud inferior fuit *Dianae* cultus. Provoco ante omnia ad narrationem Arctini ex Proclo modo allatam. Diana praeses calidorum fontium, quos satis multos habere insulam recentiores qui viserunt eam affirmant, in inscriptionibus Lesbiis passim commemoratur. *Ἀρτέμιδος Θερμαίας* alibi quoque mentionem factam invenimus. Ael. Aristid. T. I. p. 321. 22. edit. Iebb. *ἐνταῦθα δὴ παντελῶς οἱονεὶ καθιερώμην τε καὶ εἰχόμην καί μοι πολλὰ μὲν εἰς αὐτὸν τὸν σωτῆρα ἐποιήθη μέλη, ὡς ἔτυχον καθήμενος ἐπὶ τοῦ ζεύγους, πολλὰ δὲ εἴς τε τὸν Αἴσηπον καὶ νύμφας καὶ τὴν Θερμαίαν Ἄρτεμιν, ἣ τὰς πηγὰς τὰς θερμὰς ἔχει, δοῦναι λύσιν ἁπάντων ἤδη τῶν δυσχερῶν καὶ καταστῆσαι πάλιν εἰς τὸ ἐξ ἀρχῆς.* In Lesbiis inscriptionibus *Θερμία* appellatur dea, adiecto plerumque epitheto *εὐακόος*, e. g. apud Gruter. MLXVI, 19.

ΑΡΤΕΜΙΔΙ
ΘΕΡΜΙΑΙΕΤΑ
ΚΟΩ ΔΙΤΑΣ[10])

Festum Dianae *Θερμίᾳ* certis diebus celebratum esse, ex aliis apparet inscriptionibus, in quibus occurrit *πανηγυριάρχας τᾶς Θερμιακᾶς πανηγύριος.*[11]) Dianae

---

[7]) S. v. *Νάπη*.

[8]) S. v. *Νάπη*.

[9]) Sat. I, 17. Nummum Napaeum cum capite Apollinis vide apud Mionnet. p. 60.

[10]) Cf. Gruter. MLXVI. 15.

[11]) Haec perspicue apparent in inscriptione Lesbia a Vin-

a Mytilenaeis cultae testes sunt nummi e temporibus Hadriani,[12]) Caracallae, Elagabali, Alexandri Severi, Valeriani, Gallieni. In nummo Matidiae conspicitur Diana venatrix comite cane cum inscriptione *ΑΡΤΕΜΙC ΠΕΡΓΑΙΑ*. Dianam Pergae Pamphiliae oppido fanum habuisse celeberrimum veteres me edocent scriptores, sed qua de caussa Dianam Pergaeam nummis insculpserint Mytilenaei ignoro.

Iuppiter Ὑπερδέξιος in eo Lesbi loco, cui Ὑπερδέξιον nomen, cultus est, narrante Stephano Byzantio. Nummus quidam Mytilenaeus adversa parte exhibet caput Iovis cum inscriptione *ΖΕΥC ΒΟΥΛΑΙΟC*, aversa Iovem, Neptunum et Plutonem stantes verbaque *ΘΕΟΙ ΑΚΡΑΙΟΙ ΜΥΤΙΛΗΝΑΙΩΝ*. Praeterea Iovem in Lesbo cultum asserit inscriptio *ΔΙΟΣ ΜΕΓΙΣΤΟΥ* apud Gruter MLXIV. 11. et Pocock. I, 4, 6. p. 47. Iuppiter Ammon Baccho, cuius pater credebatur, iunctus reperitur in nummis Mytilenaeis. Vide quae commemoravimus p. 100. cf. Eckh. I, 2. p. 503. Creuzer. Mythol. Tom. III, p. 136.

Iunoni locus quidam in Lesbo sacratus erat, in quo iudicia fiebant de mulierum pulchritudine. Deam ibidem virginum choreis celebratam esse apparere videtur ex hoc anonymi auctoris epigrammate:

Ἔλθετε πρὸς τέμενος γλαυκώπιδος ἀγλαὸν Ἥρης
Λεσβίδες ἀβρὰ ποδῶν βῆμαθ᾽ ἑλισσόμεναι,
ἔνθα καλὸν στήσασθε θεῇ χορόν· ὔμμι δ᾽ ἀπάρξει
Σαπφὼ χρυσείην χερσὶν ἔχουσα λύρην.
ὄλβιαι ὀρχηθμοῦ πολυγηθέος· ἦ γλυκὺν ὕμνον
εἰσαΐειν αὐτῆς δόξετε Καλλιόπης.

Minerva Ὑπερδεξία eodem quo Iuppiter colebatur loco. In nummo M. Aurelii inscriptione *ΚΟΙ. ΛΕ-*

gelo Smyrnaeo ad Boeckhium missa. Cf. Pocock. inscript. antiq. P. I. c. 4. s. 6. p. 47. Corsin. in diss. ex schedis Chishulli apud Paciaud. Monument. Pelop. Vol. I. p. 86.

[12]) Rasche lex. numm. III, 1. p. 1026.

ΣΒΕΙΩΝ insignito Baccho adiuncta conspicitur Pallas, cuius caput Methymnaeorum quoque nummis autonomis expressum reperies.

Veneri magnos in Lesbo tributos esse honores verisimile est. Sacra χρυσῆς Ἀφροδίτης ap. schol. ad Hom. Il. *Γ*, 64. commemorat Cleanthes.

Aesculapii cultum praeter nummos Mytilenaeos manifestat inscriptio haec:

*ΠΑΝΙΕΡΕΣ ΚΑΙ ΙΕΡΕΥΣ ΔΙΑ
ΓΕΝΕΟΣ ΤΩ ΣΩΤΗΡΟΣ
ΑΣΚΛΑΠΙΩ*

ap. Gruter. MLXXXIX. 5.

Ad Neptuni religiones quod attinet, eum sub nomine *Μεσοποντίου* Eresi cultum esse tradit Stephanus. Iovi atque Plutoni adiunctus est Neptunus in nummo Mytilenaeo, cuius supra memini. Porro apud Hesychium legimus: Ἐλύμνιος, Ποσειδῶν ἐν Λέσβῳ et paullo post: Ἐλύτιος, Ποσειδῶν ἐν Λέσβῳ. Stephanus Byzantius Ἐλύμνιον, inquit, νῆσος Εὐβοίας, πόλιν ἔχουσαν, — τὸ ἐθνικὸν, Ἐλύμνιος etc. ad quem locum Berkelius haecce schol. Aristophanis adscripsit verba: Ἐλύμνιον. Καλλίστρατός φησιν τόπον Εὐβοίας τὸ Ἐλύμνιον· Ἀπολλώνιος δὲ ναόν φησιν εἶναι πλησίον Εὐβοίας. Sed haec nos parum adiuvant in obscuri illius nominis origine investiganda.

Accedimus ad *Bacchum*. Narrat Pausanias piscatores Methymnaeos simulacrum e ligno oleagino confectum et dei, nec tamen Graeci sed peregrini vultus exprimens rete e mari in terram protraxisse. Pythiae oraculum consulentibus id datum esse responsum, ut Διόνυσον Κεφαλλῆνα colerent. Inde ab illo tempore, ait Pausanias, Methymnaei simulacro ad exemplum effigiei in mari inventae ex aere facto Delphosque misso ligneum illud precibus atque sacrificiis venerati sunt. Videtur Creuzero dei huiusce cultus ex Aegypto originem traxisse. Neque Bacchi Brisaei cultum, cui in

Brisa promontorio fanum condidisse narratur. Macareus, indigetem putat Creuzerus, qui de nominis origine disputat in Mythol. T. III, p. 353 sqq.

Proserpinae caput spicis ornatum exhibetur Eresi nummis, in cuius urbis vicinia hordeum nascebatur optimum. Ad *Cereris* illiusque filiae cultum spectare putes inscript. apud Pocock. Descr. Orient. T. III. p. 5.

ΔΙΔΗΜΗ
ΚΑΡΠΟΦΟ
ΡΩΝ ΚΑΙΩΓΩΙ
ΠΟΛΥΚΑΡΠΩΝΚΑΙ
ΤΕΛΕΣΦΟΡΩΝ

si modo haec revera pro Lesbia habenda est.

2. De Lesbiorum ingenio et moribus.

Lesbios inter eas gentes, quae vago incertoque *Αἰολέων* nomine comprehendebantur referendos esse constat. Diversae illae stirpis Aeolicae gentes ingenio ac moribus mirum quantum inter se differebant, ut de universa earum natura exponi nequeat, sed singularum ingenia seorsum consideranda sint. Nos disputatione de Achaeis, Boeotis ceterisque gentibus Aeolicis, quae continentem incolebant, aliis permissa, ad naturam Lesbiorum describendam et cum ingenio Aeolensium qui Asiam vicinam inhabitabant comparandam nos convertimus.

Regionem ab Aeolibus in Asia cultam ei, quam Iones tenebant, soli fertilitate quidem praestitisse, sed caeli serenitate longe inferiorem fuisse scribit Herodotus. Haec res in gentium illarum ingenia vim habuit maximam. Iones salubri aeris temperie ad hilaritatem ac laetitiam excitabantur, Aeoles ob exuberantem soli luxuriem vitae dilicatae et dissolutae penitus dediti erant. In illos Asiae cultores maxime quadrant haecce Heraclidis Pontici verba de Aeolum in-

genio servata ab Athenaeo lib. XIV, 624. E. *τὸ δὲ τῶν Αἰολέων ἦθος ἔχει τὸ γαῦρον καὶ ὀγκῶδες, ἔτι δὲ ὑπόχαυνον. ὁμολογεῖ δὲ ταῦτα ταῖς ἱπποτροφίαις αὐτῶν καὶ ξενοδοχίαις. οὐ πανοῦργον δὲ, ἀλλὰ ἐξηρμένον καὶ τεθαῤῥηκός· διὸ καὶ οἰκεῖόν ἐστ' αὐτοῖς ἡ φιλοποσία καὶ τὰ ἐρωτικὰ καὶ πᾶσα ἡ περὶ τὴν δίαιταν ἄνεσις.* Sed etiam stoliditatis atque inertiae accusabantur Aeoles illi, neque iniuria, cum litterarum studium artemque bellicam tantopere negligerent, ut Ephorus Cymaeus in rerum gestarum enumeratione nihil in civium suorum laudem afferendum haberet praeter hoc: *κατὰ δὲ τὸν αὐτὸν καιρὸν Κυμαῖοι τὰς ἡσυχίας ἦγον.* Magna illa Aeolensium ignavia optime perspicitur, si eam cum Ionum alacritate ac vigore comparemus. Hi enim, quantum ex veterum scriptis intelligimus, non solum cura, quam litteris excolendis impendebant sed etiam fortitudine, quam in bellis gerendis praestabant nec non rerum publicarum moderandarum solertia maximam semper sibi compararunt gloriam. Eximia illorum virtus praecipue in bello, quod cum Cyro rege de libertate sua gesserunt, apparet. Hancce Ionum fortitudinem tam parum aequipararunt Aeoles, ut Herodotus in belli illius descriptione semper fere Ionum tantum meminerit, Aeolum vero facta silentio transeat. Etiam posteriore tempore, tum in bello cum Dario a Graecis civitatibus gesto, tum in bello Pelopónnesiaco, Ionibus longe inferiores exstiterunt Aeoles. Neque si res publicas, verbi caussa mercaturas coloniasque, spectes, ullam urbem Aeolicam invenies, quae cum Mileto vel alia Ionum civitate comparari possit. Ad litteras quod attinet, magnis scriptorum ingeniis abundant civitates Ionicae, inter Aeoles vero praeter Ephorum vix ullum reperies, qui apud aequales ac posteros scriptis suis laudem gloriamque assecutus sit.

Ab Aeolum Asianorum inertia hebeteque eorum ingenio remotissimi fuerunt Lesbii, cuius rei caussa potissima videtur haec, quod insulanorum animi acrius

plerumque quam eorum qui continentem incolunt, ad magna tentanda excitari solent. Lesbii, quantum ex iis, quae de eorum rebus per veterum scripta memoriae prodita sunt, intelligi potest, inde ab antiquissimo tempore animum praestiterunt fortissimum, ab ignavia ac segnitie alienissimum, magnorum semper appetentem. Generosum ac vividum Mytilenaeorum ingenium ex bello quod cum exsulibus optimatum parti addictis gesserunt apparet. Idem probarunt dimicatione de Sigeo oppido subeunda Milesiisque in bello contra Polycratem tyrannum auxilio adiuvandis. Quanquam conatuum horum plurimi ad irritum ceciderunt, egregia tamen per illos animi sui fortissimi specimina dederunt Mytilenaei. In proelio ad Ladam insulam contra Darium Hystaspis filium commisso praesto quidem erant Lesbii cum navibus septuaginta, neque tamen virtute magnopere excelluerunt, Samiorum, qui pugna capessita in fugam se contulerunt exemplum secuti. In bello Peloponnesiaco rursus apparet strenuus et bellicosus Mytilenaeorum animus, qui secessione ab Atheniensibus facta per longum tempus fortiter se defenderunt et nonnisi casu adverso ut in hostium potestatem se permitterent coacti sunt. In bellis igitur tales se praestiterunt: litteris excolendis ita eos excelluisse, ut praeter Atticam vix ulla reperiatur civitas, quae hac re superaverit Lesbias civitates, poetarum, historicorum et philosophorum, quos indicare posthac curae erit, multitudo satis superque comprobat.

Cum laudabili hoc bonarum litterarum studio eximiaque illa in bellis virtute parum congruere videntur foedae et effrenatae libidines, quibus indulsisse Lesbios perhibent veteres scriptores. De Methymnaeis Theopompus apud Athenaeum lib. X, p. 443 A. ita scribit: *Ingentes illi in victu quotidiano posuerunt sumtus perpetuis sese dantes comissationibus, nihil vero magnis illis impensis digni perficientes. Compressit eorum cupiditates Cleomenes tyrannus, qui lenas*

quoque mulieribus ingenuis libidinum ministras sese praebentes nec non tres vel quattuor earum mulierum, quae turpi consuetudine maxime usae erant, in culeos insutas in mare proiici iussit. Foedam libidinem, ad quam designandam verbis *irrumare*, *fellare*, *offendere buccam* utuntur Latini, Lesbii excogitasse dicebantur, ita ut adeo verbum λεσβίζειν s. λεσβιάζειν fingeretur, de iis adhibitum, qui ista libidine flagrarent. Schol. ad Aristoph. Vesp. 1385. τὸ λεσβιεῖν ἐπὶ αἰσχροῦ τάττεται, ἐπειδὴ οἱ Λέσβιοι αἰσχρουργοῦσι τῷ στόματι μολυνόμενοι, παρὰ τὸ ἱστορούμενον, ὅτι παρὰ Λεσβίοις τοῦτο πρῶτον ἡ γυνὴ ἔπαθε. καὶ παρὰ Θεοπόμπῳ ἐν Ὀδυσσεῖ· ἵνα μὴ τὸ παλαιὸν τοῦτο καὶ θρυλλούμενον δι' ἡμετέρων στομάτων εἴπω σόφισμα, ὅ φασι παῖδας Λεσβίων εὑρεῖν. Στράττις ἐν Τρωΐλῳ· ἢ μήποτ' ὦ παῖ Ζηνὸς, ἐς ταὐτὸν μόλῃς· ἀλλὰ παραδοὺς τοῖς Λεσβίοις χαίρειν ἔα. Schol. ad Ran. 1335. λεσβιάζειν δὲ, τὸ παρανόμως πλησιάζειν καὶ μολύνειν τὸ στόμα. διεβάλλοντο ἐπ' αἰσχρότητι οἱ Λέσβιοι. καὶ ἐν τῷ εἰς Φερεκράτην ἀναφερομένῳ Χείρωνι α. δώσει δέ σοι γυναῖκας ἑπτὰ Λεσβίδας. β. καλόν γε δῶρον ἕπτ' ἔχειν λαικαστρίας. Eustath. ad Homer. Iliad. p. 741. Ἰστέον δὲ καὶ ὅτι δοκεῖ οὐκ ἀγαθοὺς ἀνθρώπους ἡ Λέσβος ἐνεγκεῖν, ὅθεν καὶ Λεσβιάσαι τὸ αἰσχρῶς μολῦναι τὸ στόμα κατὰ Αἴλιον Διονύσιον. — εἰσὶ καὶ βλασφημίαι καὶ ἀπὸ ἐθνῶν καὶ πόλεων καὶ δήμων πολλαὶ, ῥηματικῶς πεποιημέναι. Ἐθνῶν μὲν, οἷον Κιλικίζειν καὶ Αἰγυπτιάζειν, τὸ πονηρεύεσθαι· καὶ Κρητίζειν, τὸ ψεύδεσθαι. Ἐκ πόλεων δὲ, οἷον Λεσβιάζειν, τὸ αἰσχροποιεῖν· εἶτα παραγαγόντες Φερεκράτους χρῆσιν ἐν ἰάμβῳ, τὸ, δώσει δέ σοι γυναῖκας ἑπτὰ Λεσβίδας, ἐπάγουσιν ἀμοιβαῖον τό, καλόν γε δῶρον ἕπτ' ἔχειν λαικαστρίας, ὡς τοιούτων οὐσῶν τῶν Λεσβίων γυναικῶν. Feminas abominando mulierum puellarumque amore flagrantes exstitisse in Lesbo ait Lucianus Dialog. meretr. 5. τοιαύτας ἐν Λέσβῳ λέγουσι γυναῖκας ἀρρενωποιοὺς ὑπὸ ἀνδρῶν μὲν οὐκ ἐθελούσας αὐτὸ πάσχειν, γυναιξὶ δὲ αὐτὰς πλησιαζούσας ὥσπερ ἄνδρας.

Haec atque similia in veterum scriptis commemorata iis quae de Lesbiorum fortitudine et de studio in bonis artibus ab illis collato supra monuimus magnopere repugnant. Ego vero nullum futurum opinor, qui scriptoribus tot tantisque maculis Lesbiorum mores adspergentibus temere credat. Non id quidem ago, ut omni culpa liberem Lesbios; sed vitia quibus illi contaminati fuisse dicuntur rumore adaucta atque multiplicata esse non dubito. Praecipue hoc teneri velim, dedecora ea et flagitia neque inde ab omni tempore in Lesbo cognita neque unquam per totam insulam divulgata fuisse. Antequam a Persis subigeretur Lesbus, insulani, ut equidem opinor, eiusmodi scelerum prorsus puri fuerunt. Sed ne postero quidam tempore voluptatibus ita servierunt, ut produnt scriptores. Infamiam qua flagrarunt Lesbii magna ex parte comicorum Atticorum criminationibus ortam esse verisimile est. Libidines, quibus in singulis insulae locis indulserunt homines, facile occasionem praebere potuerunt poetis illis, ut totam gentem Atheniensibus maxime invisam calumniarentur populoque deridendam propinarent. Ad masculas mulierum cupiditates quod attinet, eas etiam illo tempore, cum corruptissimi essent mores, rarissimas fuisse evicit Welckerus in libello de Sapphone poetria, allato inter alia hocce Luciani loco (Amor. 28): *Εἰ δὲ τοῖς ἄῤῥεσιν εὐπρεπεῖς αἱ μετὰ ἀῤῥένων ὁμιλίαι, πρὸς τὸ λοιπὸν ἐράτωσαν ἀλλήλων καὶ γυναῖκες. ἄγε νῦν, ὦ νεώτερε χρόνε καὶ τῶν ξένων ἡδονῶν νομοθέτα, καινὰς ὁδοὺς ἄῤῥενος τρυφῆς ἐπινοήσας, χάρισαι τὴν ἴσην ἐξουσίαν καὶ γυναιξίν· τὸ δὲ εἰς ἀκοὴν σπανίως ἧκον ὄνομα (αἰσχύνομαι καὶ λέγειν) τῆς τριβακῆς ἀσελγείας ἀναίδην* (leg. *ἀνέδην*) *πομπευέτω· πᾶσα δ᾽ ἡμῶν ἡ γυναικωνῖτις ἔστω Φιλαινίς, ἀνδρογύνους ἔρωτας ἀσχημονοῦσα.* Omnino plurima eorum, quae contulit Welckerus ad Sapphonem a culpa illi attributa liberandam, ad universas Lesbias contra scriptorum criminationes defendendas convertere nobis licet.

Praecipue notandum quod de ingenuo mulierum erga virgines amore monuit Vir cl. nisus loco Plutarchi in vita Lycurgi cap. XVIII. ubi haec leguntur: *Ἐκοινώνουν δ᾽ οἱ ἐρασταὶ τοῖς παισὶ τῆς δόξης ἐπ᾽ ἀμφότερα καὶ λέγεταί ποτε, παιδὸς ἐν τῷ μάχεσθαι φωνὴν ἀγεννῆ προεμένου, ζημιωθῆναι τὸν ἐραστὴν ὑπὸ τῶν ἀρχόντων. Οὕτω δὲ τοῦ ἐρᾶν ἐγκεκριμένου παρ᾽ αὐτοῖς, ὥστε καὶ τῶν παρθένων ἐρᾶν τὰς καλὰς καὶ ἀγαθὰς γυναῖκας, τὸ ἀντερᾶν οὐκ ἦν, ἀλλὰ μᾶλλον ἀρχὴν ἐποιοῦντο φιλίας πρὸς ἀλλήλους οἱ τῶν αὐτῶν ἐρασθέντες καὶ διετέλουν κοινῇ σπουδάζοντες, ὅπως ἄριστον ἀπεργάσαιντο τὸν ἐρώμενον.*

Quod reliquis omnibus Graeciae gentibus natura insitum erat, ut corporis formam maximi facerent, idem Lesbiis ingeneratum videmus, apud quos iudicia de mulierum pulchritudine facta esse tradunt scriptores. Athen. lib. XIII, pag. 610. A. *Ἐνιαχοῦ δέ φησιν ὁ αὐτὸς Θεόφραστος καὶ κρίσεις γυναικῶν περὶ σωφροσύνης γίνεσθαι καὶ οἰκονομίας, ὥςπερ ἐν τοῖς βαρβάροις· ἑτέρωθι δὲ κάλλους, ὡς δέον καὶ τοῦτο τιμᾶσθαι, καθάπερ καὶ παρὰ Τενεδίοις καὶ Λεσβίοις· ταύτην δὲ τύχης ἢ φύσεως εἶναι, τιμὴν δὲ δέον προκεῖσθαι σωφροσύνης. τὸ κάλλος γὰρ οὕτως καλόν· εἰ δὲ μή, κίνδυνον ἔσχεν ἐπ᾽ ἀκολασίαν.* Quando iudicia illa instituta sint ignoramus. Homerum hisce versibus:

δώσω δ᾽ ἑπτὰ γυναῖκας ἀμύμονας, ἔργ᾽ εἰδυίας,
Λεσβίδας, ἃς, ὅτε Λέσβον ἐϋκτιμένην ἕλεν αὐτὸς,
ἐξελόμην, αἳ κάλλει ἐνίκων φῦλα γυναικῶν,

ad ea respexisse credit scholiastes, qui *παρὰ Λεσβίοις* inquit, *ἀγὼν ἄγεται κάλλους γυναικῶν ἐν τῷ τῆς Ἥρας τεμένει, λεγόμενος Καλλιστεῖα.* Addam Hedyli epigramma (Anthol. Palat. T. I. p. 282.) in quo poeta per lusum de huiusmodi certamine iudicem facit Priapum:

Αἵ μίτραι, τό θ᾽ ἁλουργὲς ὑπένδυμα, τοί τε Λάκωνες
πέπλοι, καὶ ληρῶν χρύσεοι οἱ κάλαμοι·
πάνθ᾽ ἅμα Νικονόη συνεπέκπιεν· ἦν γὰρ Ἐρώτων

καὶ Χαρίσιον ἡ παῖς ἀμβρόσιον τι θάλος.
τοιγὰρ τῷ κρίναντι τὰ καλλιστεῖα Πριήπῳ
νεβρίδα καὶ χρυσέην τήνδ' ἔθετο προχόην.

Postremos versus s. v. *Καλλιστεῖα* laudat Suidas.

3. Lesbiorum lingua.

Quae quattuor statuuntur linguae Graecae dialecti, Dorica, Ionica, Attica et Aeolica, earum illam, quam postremo loco posui, in Lesbo praecipue excultam esse constat. Praeter Boeotiam enim Lesbus sola ex omnibus terris Aeolicis scriptores protulit vernacula utentes dialecto. Quorum opera cum temporis iniuria nobis erepta sint paucaque tantum aetate nostra exstent fragmenta, haud mirum est, nos Lesbiam dialectum parum cognitam habere. Neque tamen negligendae inscriptiones plus quam poetarum fragmenta auxilii suppeditantes. Et cum dubitari nequeat quin Cymaei haud longe a Lesbo remoti eadem qua Lesbii usi sint dialecto, nec Cymaeae inscriptiones sine fructu consulentur. Nos hoc in loco maxime ea afferemus, quae a viris doctis, praesertim Gregorii Corinthii interpretibus, neglecta atque praetermissa sunt.

Meminit Lesbiae dialecti Dionys. Halic. *τέχνη* Vol. V. p. 421. edit. Reisk. ubi de Alcaeo ita loquitur: *Ἀλκαίου δὲ σκόπει τὸ μεγαλοφυὲς καὶ βραχὺ καὶ ἡδὺ μετὰ δεινότητος, ἔτι δὲ καὶ τοὺς σχηματισμοὺς μετὰ σαφηνείας, ὅσον αὐτῆς μὴ τῇ διαλέκτῳ τι κεκάκωται.* Hinc intelligi posse arbitratur Sturzius, cur nonnulla Hellanici Lesbii fragmenta, praesertim illud, quod ad Eurip. Orest. v. 1648 (1643 Math.) servavit scholiastes, tanta laboret obscuritate.

Aeoles pariter atque Dorienses litteram *A* litterae *H* ubique fere praetulisse constat. Lesbios non solum in poesi, sed in vulgari quoque sermone priore littera saepius quam posteriore usos esse inscriptiones osten-

dunt. Non minus quam illud *Α* litteram *Ω* pro Aeolensium more adamarunt Lesbii, quae in genitivis maxime ab ipsis servata est. Iis, quae ad Gregor. Corinth. p. 191 et 584 edit. Lips. attulit Koenius, ex inscriptionibus haec addam: *ΙΡΕΥΣ ΔΙΑ ΓΕΝΕΟΣ ΤΩ ΣΩΤΗΡΟΣ ΑΣΚΛΑΠΙΩ* inscript. apud Gruter. MLXXXIX. 5. — *ΜΑΡΚΟΝ ΓΡΑΝΙΟΝ ΓΑΙΩ ΥΙΟΝ* — — *ΓΥΜΝΑΣΙΑΡΧΗΣΑΝΤΑ ΘΕΑΣ ΣΕΒΑΣΤΑΣ ΑΙΟΛΙΔΟΣ ΚΑΡΠΟΦΟΡΩ ΑΓΡΙΠΠΕΙΝΑΣ* inscr. ap. Pocock. I, 4, 6. p. 46. Ibi statim sequuntur haec: *ΘΕΟΔΩΡΑ ΜΗΝΟΦΙΛΩ ΤΩ ΚΑΙ ΓΛΥΚΩΝΩΣ.* — *ΑΠΥΓΟΝΟΝ ΕΥΞΕΝΩ Β ΤΩ ΓΥΜΝΑΣΙΑΡΧΩ ΚΑΙ ΠΡΩΤΩ ΣΤΡΟΤΑΓΩ* inscript. ap. Pocock. l. l. — *Λ. ΑΝΤΩΝΙΟΝ Λ. ΑΝΤΩΝΙΩ ΣΕΡΒΙΛΙΩ ΥΙΟΝ*, inscr. ap. Pocock. I, 4, 6. p. 47. — *ΑΥΡ. ΑΡΤΕΜΙΔΩΡΟΝ Β ΤΩ ΥΜΕΝΑΙΩ*, inscr. ap. Gruter. MXCI, 4. *ΠΟΤΑΜΩΝΟΣ ΤΩ ΛΕΣΒΩΝΑΚΤΟΣ ΠΡΟΕΔΡΙΑ*, Pocock. Descr. Orient. III, p. 15. Conferas Sapphonis Alcaeique fragmenta. Rarius *Ω* pro *ΟΥ* in mediis verbis adhibitum invenies. Inscriptiones nullum rei huiusce praebent exemplum. In Sapphus carmine priore vs. 10. *στρῶθοι* pro *στροῦθοι* scripsit Blomfieldus, Gregorio de dialect. §. VIII. obsecutus. Usus diphthongi *ΟΙ* pro *ΟΥ* solemnis fuit Aeolensibus. Maxime memorabilis est flexus accusativi pluralis secundae declinat. *οις* pro *ους*. Vide Koen. ad Gregor. Corinth. §. L. et Buttm. Gr. G. maior. p. 99. Inscriptio Lesbia ap. Dodw. II, p. 519. (Richter. II. p. 578, nr. XXXVII.) bis habet *ΠΡΟΣ ΑΛΛΑΛΟΙΣ* lin. 25. et 30. In inscriptione inedita, a Vingelo Smyrnaeo ad Boeckhium missa, legitur *ΠΡΟΣ ΤΟΙΣ ΘΕΟΙΣ* pro *πρὸς τοὺς θεούς*. Eiusmodi formae Grammaticos facile in eam adducere potuerunt opinionem, pro accusativo nonnunquam dativum usurpatum esse, quod accidit Gregorio, qui l. l. *ἀντὶ αἰτιατικῆς* inquit *τὴν δοτικὴν παραλαμβάνουσιν ἐν τοῖς πληθυντικοῖς. τοῖς ἀνθρώποις ἀντὶ*

τοῦ, τοὺς ἀνθρώπους. — De littera *O* Aeolum, quam illi pro diphthongo *OT* ponere solebant, vide Koen. ad Gregor. Corinth. de dial. Dor. §. VIII. et Buttm. Gr. Gr. p. 24 sq. et 100. Inscriptiones Lesbiae omnes pro *BOTΛH* habent *BOΛΛΑ*, praeter illam quae legitur ap. Paciaud. Monument. Peloponn. Vol. I. p. 86. ubi scriptum est *BOTΛΑ*. — Pro *O* saepius littera *T* usi sunt Aeoles secundum Gregorium: Τῷ υ στοιχείῳ ἀντὶ τοῦ ο χρῶνται· τὸ γὰρ ὅμοιον ὕμοιον λέγουσι, καὶ τὸ ὄνομα ὄνυμα, καὶ τὸ στόμα στύμα. In Lesbia inscriptione ap. Dodwel. et Richter. l. l. lin. 40. legitur *ΑΠΤΛΟΜΕΝ*; *ΑΠΤ ΒΑΣΙΛΕΩΝ* habes in inscript. ap. Pocock. P. I, 4, 6, p. 45. lin. 14. (Mem. Academ. inscr. Tom. XLVII, p. 290.); *ΑΠΤΓΟΝΟΝ* praebet inscr. ap. eumdem. I, 4, 6. p. 46. *TΜΟΙΩΣ* inscr. ap eumdem. I, 5, 6. p. 46. lin. ult. Conferri potest Marmor. Cymaeum, quod edidit Caylus, (Recueil d'Antiq. II, p. 3. tab. 56—58.) ubi lin. 8. reperies *ΠΡΟΣΟΝΤΜΑΣΛΕΣΘΑΙ*, lin. 17. *ΠΡΟΣΟΝΤΜΑΣΙΑΣ*, lin. 24. *ΑΠΤΛΕΛΟΣΘΑΙ*, lin. 29. *ΑΠΤΛΟΧΑ*. In fragmento Sapphonis ap. Athen. XV. p. 674. E. (Fragm. XX. Blomf.) est ἀπυστρέφονται. Eamdem poetriam pro χελώνη dixisse χελύνη testatur Orion Thebanus. Vide Gregor. p. 586. edit. Lips. Litteram *A* in *Ω* mutare solebant Aoles. Iohannes Grammaticus (quem laudavit Koen. ad Gregor. p. 455.) ἔθος ἔχουσιν ἀντὶ τοῦ α τὸ ο τιθέναι, θρασέως θροσέως, στρατὸς στροτὸς, ἄνα ὄνω, ἀνέληται ὀνέληται, ἀνεχώρησεν ὀνεχώρησεν, σταλεὶς στολείς. Duo ex inscriptionibus Lesbiis exempla afferam. Apud Pocockium P. I, 4, 6. p. 45. lin. 3. habes *ΣΤΡΟΤΑΓΗΣΑΝΤΑ*, in inscriptione ab eodem I, 4, 6. p. 47. edita legitur *ΠΡΩΤΩ ΣΤΡΟΤΑΓΩ*. His adiungendae formae *ΟΝΤΕΘΗΝ*, *ΟΝΘΕΝΤΑ*, *ΟΝΘΕΜΕΝΑΙ*, quae reperiuntur in Marmore Cymaeo modo laudato lin. 8. 34. 39. 53. Pro ἀνίαις ὀνίαις dixit Alcaeus, teste Apollonio Dyscolo de pronom. (p. 381. edit. Bekker.) cuius auctoritate fretus

tus pro ἀνίαισι in carminum Sapphicorum primo ὀνίαισι correxit Blomfieldus. In altero poetriae Lesbiae carmine v. 7. βροχέως invenies. — Μέσον δύο φωνηέντων, inquit Gregor. de dialect. Aeol. §. XXXVII, τιθέασι τὸ υ. τὸ γὰρ ἀὴρ αὐὴρ λέγουσι καὶ τὸ ἄως αὔως. οὕτως καὶ χέω χεύω, καὶ θέω θεύω, καὶ νέω νεύω. Vide Koen. ad h. l. Forma *ΝΑΥΟΣ* quam vir doctus ex Marmore Cymaeo affert, exstat etiam in inscriptione Lesbia saepius a me laudata, ap. Dodw. II, p. 519. lin. 38. Eodem loco lin. 32. legere est *ΕΝΔΕΥΗ*. *ΔΕΥΟΜΕΝΟΙΣ* praebet inscript. Lesb. apud Pocock. P. I, 4, 6. p. 45. Ibidem pro diphthongo *ΕΙ* scriptum reperies *ΗΙ*. Lin. 5. nempe positum est *ΕΠΙΜΕΛΗΙΑΣ* et lin. 14. *ΠΡΥΤΑΝΗΙΑΣ*. — Litterae *Α* saepius *Ι* addidisse Aeoles Grammatici tradunt. *ΠΑΙΣΑΣ*, quod Koenio ad Gregor. p. 601. monente praebet marmor Cymaeum, in Lesbia quoque inscriptione (Pocock. I, 4, 6. p. 46.) nobis se offert. — Lesbios infinitivum activi pro ειν per ην formasse dubitari non potest. Satis hoc confirmat Marmor Cymaeum, ubi lin. 17. exstat *ΑΡΚΕΗΝ*, lin. 25. *ΕΠΑΙΝΗΗΝ*, lin. 28. *ΕΧΗΝ*, lin. 29. *ΚΑΛΗΝ*. His ex eodem Marmore addi possunt *ΕΠΙΤΕΘΕΩΡΗΚΗΝ*, *ΕΠΙΓΡΑΦΗΝ* et τεθνάκην pro τεθνάκειν ex Sapphonis carmine, ad quas formas mox redibimus. Etiam in Lesbia inscriptione ap. Dodw. lin. 29. *ΣΥΜΦΕΡΗΝ* exaratum video.

De ratione qua litteras consonantes permutabant Aeoles inque iis Lesbii consulendi sunt Grammatici, tum antiqui, tum recentiores. Eos θ in φ mutasse monet Gregorius. Saepenumero tamen versa vice θ adhibuerunt ubi aliae gentes littera φ utebantur. Athenaeo (lib. XI, p. 500. B.) narrante, in libro de dialecto retulit Parmeno, Methymnaeos pro σκύφος dixisse σκύθος. — Quod §. XI. tradit Gregorius, Aeoles duplicasse litteras ἀμεταβόλους, id factum deprehendes in inscript. ap. Dodw. ubi lin. 22. exaratum est *ΕΣΣΟΝΤΑΙ* et lin. 23. *ΕΠΕΚΡΙΝΝΕ*. — Memoratu dignus

est flexus dativi pluralis tertiae declinat. εσσι pro σι. *ΕΛΘΟΝΤΕΣΣΙ* habet inscript. ap. Dodwell. 19 et 31; *ΔΙΑΛΥΣΙΕΣΣΙ* exstat lin. 23; *ΑΡΧΟΝΤΕΣΣΙ* praebet inscript. Pocockiana P. I, 4, 5, 6. p. 47. Cum Lesbiis inscriptionibus convenit marmor Cymaeum ubi lin. 9. reperitur *ΕΥΕΡΓΕΤΗΣΑΝΤΕΣΣΙ*, lin. 19. 30. *ΕΝ ΠΑΝΤΕΣΣΙ ΤΟΙΣ ΑΓΩΝΕΣΣΙ*.

Infinitivo ἔμμεναι in vulgari sermone non minus quam in poesi usi sunt Lesbii. *ΠΑΡΕΜΜΕΝΑΙ* habet inscript. apud Dodw. lin. 41. *ΕΜΜΕΝΑΙ* est in Marmore Cymaeo inque alia inscriptione nondum edita.

Memorabo iam de quibusdam verborum formis, quas, cum illae in Marmore Cymaeo reperiantur Lesbiis quoque in usu fuisse dubitari nequit. Invenies in illo Marmore *ΓΕΝΗΘΗΝ, ΣΤΕΦΑΝΩΘΗΝ, ΕΙΣΕΝΕΧΘΗΝ* pro γενηθῆναι, στεφανωθῆναι, εἰςενεχθῆναι, infinitivo Aoristi Passivi per simplex ην formato, qua de re vide Buttm. in Mus. Ant. stud. Fasc. 1. p. 145. Hinc in Alcaei fragmento apud Athenaeum X, p. 430. pro μεθυσθῆναι legendum μεθυσθῆν vel potius μεθύσθην, monente Buttmanno l.l. *ΕΠΙΤΕΘΕΩΡΗΚΗΝ* quod in eodem Marmore lin. 19. occurrit est infinitivus pro *ΕΠΙΤΕΘΕΩΡΗΚΕΙΝ* (ἐπιτεθεωρηκέναι) ab ἐπιτεθεώρηκω formatus. Respondent illi infinitivus τεθνάκην apud Sapph. Od. II. fin. et participium *ΠΕΠΛΗΡΩΚΟΝΤΑ* in inscript. Lesb. ap. Pocock. I, 4, 6. p. 45. a *ΠΕΠΛΗΡΩΚΩ* derivandum.

In fine huius disputationis afferam verba nonnulla quae Lesbiis propria fuisse dicunt. Ἀντίπηξ, quod ab Euripide aliquoties adhibitum cistam significat, Mytilenaeorum vox fuisse narratur. Schol. ad Homer. Il. *Π*, v. 254, ad vocem χηλῷ — καλεῖται παρὰ μὲν Λάκωσι Κιβωτὸς, παρὰ δὲ Ἀττικοῖς Λάρναξ, παρὰ δὲ Μιτυληναίοις Ἀντίπηξ. Eustath. in Il. p. 1072. 49. Χηλὸν κατὰ τοὺς παλαιοὺς τὴν κιβωτόν φασιν οἱ Λάκωνες· Βοιωτιάδαι δὲ, Λάρνακα· Μιτυληναῖοι δὲ, Ἀντίπηγα. Valckenarius tamen ad Theocrit. Adoniaz. p. 334.

haec omnia ficta putans Mytilenaeisque nihil cum voce Ἀντίπηξ commune fuisse sibi persuasum habens praefert Eustathii observationem in Odyss. *B.* p. 100, 42. Χηλὸς — ἀπὸ τοῦ Χῶ (Χάω) τὸ χωρῶ· ἐξ οὗ καὶ ὁ Χηραμὸς, ὃν οἱ τῆς Δωριέων γῆς ἄρτι Χηλαμὸν φασιν ἰδιωτικῶς. λέγεται δὲ κατὰ τοὺς παλαιοὺς καὶ Ἀντίπηξ καὶ Κιβωτὸς καὶ Λάρναξ καὶ Σόρος. — Verba Ἄορος, Ἴμβηρις, Καραβίδες Methymnaeorum fuisse, ait Hesychius, primum per ἄϋπνος, secundum per ἔγχελυς, tertium per γραῖς explicans.

CAPUT QUINTUM.

De Lesbiorum arte, musica inprimis atque poetica.

Disputationis nostrae de Lesbiorum musica et poesi quas artium omnium nobilissimas sane atque primarias unice fere coluerunt illi, hunc instituemus ordinem, ut primum de epica poesi disseramus, a qua ut universa Graecorum poesis, ita Lesbia quoque exordium cepit. Primus igitur prodibit Lesches poeta cyclicus. Deinde ad eos progrediemur, qui arte poetica minus insignes musicam ad altissimum perfectionis gradum evexere, Terpandrum atque Arionem. Sequentur qui poesi principatum inter lyricos Graecorum vates obtinuerunt, Alcaeus ac Sappho. Deinde reliquos Lesbiorum musicos et poetas antecedentibus minime aequandos deinceps commemorabimus postremoque loco pauca illa, quae de reliquis artibus in Lesbo cultis dicenda sunt afferemus.

Lesches sive *Lescheos* (*Λέσχης*, *Λέσχεως*) Aeschyleni filius, aut Mytilene aut Pyrrha oriundus est,[1]) Qua vixerit aetate intelligitur ex Clemente Alexandrino Stromat. I. p. 398. Potter. *Φανίας πρὸ Τερπάνδρου* (qui ut postea videbimus praesertim inde a vicesima sexta Olympiade usque ad tricesimam tertiam floruit)

---

[1]) Mytilenen ei patriam tribuit Proclus in Gottingensi Bibliotheca veteris litteraturae et artis part. I. p. 35. Pyrrhae eum natum perhibent Pausanias X. 26. et Tabulae Iliacae auctor.

τιθεὶς Λέσχην τὸν Λέσβιὸν, Ἀρχιλόχου νεώτερον φέρει τὸν Τέρπανδρον· διημιλλῆσθαι δὲ τὸν Λέσχην Ἀρκτίνῳ καὶ νενικηκέναι· Ξάνθος δὲ ὁ Λυδὸς, περὶ τὴν ὀκτωκαιδεκάτην Ὀλυμπιάδα. Quae cum ita sint, non bene Eusebius Olympiadi tricesimae primae adscripsit Leschis nomen.

Referendus Lesches ad poetas cyclicos, qui mythos antiques inde ab Urano usque ad Ulyssis reditum in Ithacam et mortem persecuti sunt epicis carminibus a Grammaticis pro argumentorum ratione digestis et ordinatis, ut carminum contextus efficeretur, cycli epici nomen gerens. Illius cycli partem constituisse Leschis carmen ex Procli apparet fragmentis, quae in bibliotheca memorata e codicibus edita sunt. Proclo teste carmen illud quattuor libris scriptum parvaeque Iliadis nomine nuncupatum Arctini Milesii Aethiopidem excepit resque Troianas complectebatur inde ab armorum iudicio usque ad Epei equum in urbem a Troianis receptum. Sed aliorum scriptorum de Leschis carmine locos consideranti plures se obiiciunt difficultates, de quibus multa et varia disputaverunt viri docti et nobis quoque dicendum est. Tzetzes nempe ad Lycophr. 1263. (Vol. II, p. 984 sq. Müller,) ex parva Iliade Leschis res affert, quae carminis illius argumento apud Proclum haud continentur. Undecim enim versibus quos servavit Tzetzes a Neoptolemo Astyanactem de turri praecipitatum et Andromachen atque Aeneam captos navibusque abductos esse narrat poeta. Aristoteles de arte poet. c. XXIII. tragoediarum, quae ex parva Iliade factae sint prodens nomina, praeter Philoctetem, Neoptolemum, Eurypylum, Πτωχείαν, Lacaenas, commemorat Ἰλίου πέρσιν, ἀπόπλουν, Sinonem et Troadas. Ἰλίου πέρσει et ἀπόπλῳ quomodo argumenta praebere potuerit parva Ilias, si illa, ut ait Proclus, in equo in urbem recepto inque Troianorum e commessatione somno desiit, haud facile perspicias. Pausanias, qui lib. III, 26, 7. parvae Iliadis praetermisso auctoris nomine mentionem facit, lib. X, c. 25.

p. 860. laudat Ἰλίου πέρσιν Leschis, e qua subinde res complures affert. Harum praesertim memoratu dignum quod p. 861. tradit, Astyanactem non communi Graecorum sententia, sed privato Neoptolemi consilio necatum esse, quocum conveniunt versus a Tzetza ad Lycophr. l. l. citati. Heynius in excursu I. ad Virgil. Aen. II. p. 371. coniecit, Ἰλίου πέρσιν, Pausaniae sub Leschis nomine laudatam, haud diversam fuisse ab ea, quam Arctino Milesio assignat Proclus et cuius argumentum parvae Iliadis argumento subiunxit. In bibliotheca mem. tamen retractavit hanc sententiam, quae Hermanno ad Arist. l. l. observante prorsus improbabilis est, quoniam teste Proclo apud Arctinum Neoptolemus interfecit Priamum ἐπὶ τὸν τοῦ Διὸς τοῦ Ἑρκείου βωμὸν καταφυγόντα, Lesches vero, ut lib. X, c. 27. ait Pausanias, in eo ab aliis auctoribus discessit, quod Priamum non ad aram Iovis, sed ab ea abstractum ad suarum aedium fores a Neoptolemo occisum tradidit. Idem Hermannus bene refutavit Heynium, qui hoc ex Procli chrestomathia fragmentum: καὶ Ὀδυσσέως Ἀστυάνακτα ἀνελόντος, Νεοπτόλεμος Ἀνδρομάχην γέρας λαμβάνει. καὶ τὰ λοιπὰ λάφυρα διανέμονται. Δημοφῶν τε καὶ Ἀκάμας Αἴθραν εὑρόντες ἄγουσι μεθ' ἑαυτῶν· ἔπειτα ἐμπρήσαντες τὴν πόλιν, Πολυξένην σφαγιάζουσιν ἐπὶ τὸν τοῦ Ἀχιλλέως τάφον, quod in bib. mem. p. 38. legitur, alterius Excidii Ilii a Lesche perscripti particulam constituisse suspicatus est. Etenim prima huius fragmenti verba prorsus repugnant versibus Leschis, quos l. l. affert Tzetzes.

Iam ut meam proferam sententiam, id quidem satis apparere credo e veterum scriptorum locis, parvae Iliadis partem seu continuationem fuisse Ἰλίου πέρσιν, quae ab aliis (v. c. Aristotele ac Tzetza) cum illa coniuncta, ab aliis (e. g. Pausania) ab ea secreta est. Haec etiam Hermannus monuit, cuius tamen sententia, incertum fuisse parvae Iliadis auctorem, verbis Pausaniae III, 26, 7. neutiquam comprobatur. Casu

factum est, ut in hoc loco scriptor reticeret poetae nomen, quod alibi, ubi de *Ἰλίου πέρσει*, loquitur, addit. Quodsi utrumque carmen, parva Ilias et *Ἰλίου πέρσις* a Lesche profectum est, nullo modo probabile videtur, quod placet Hermanno, ante parvam Iliadem scriptam esse *Ἰλίου πέρσιν*. Ex Proclo apparet tantum parvam Iliadem cycli epici partem constituisse, quam sequebatur *Ἰλίου πέρσις* Arctini. Non adstipulor Hermanno, qui inter argumentum carminis Arctini et fragmentum, quod Leschi tribuit Heynius, *Ἰλίου πέρσεως* Leschis argumentum a Proclo exhibitum esse putat. Neque enim credibile est, duo eiusdem argumenti carmina a grammaticis in cyclum recepta esse.

Nunc de carminis Leschis argumento accuratius exponam. Primi versus laudantur ab eo, qui libellum de Homeri vita scripsit, c. XVI. ubi Homero tribuitur parva Ilias.[2]) Sunt hi:

Ἴλιον ἀείδω καὶ Δαρδανίην εὔπωλον,
ἧς πέρι πολλὰ πάθον Δαναοὶ, θεράποντες Ἄρηος.

Auspicabatur poeta, ut antea dixi, a lite Aiacem inter atque Ulyssem de armis Achillis orta. Secundum scholiast. Aristoph. ad Equitt. v. 1056. narravit Lesches, suasisse Nestorem iudicibus, ut mitterent quosdam sub Troiae moenia *ὠτακουστήσοντας περὶ τῆς ἀνδρείας τῶν ἡρώων. Τοὺς δὲ πεμφθέντας ἀκοῦσαι παρθένων διαφερομένων πρὸς ἀλλήλας, ὧν τὴν μὲν λέγειν, ὁ Αἴας πολὺ κρείττων ἐστὶ τοῦ Ὀδυσσέως διερχομένην οὕτως·*

---

[2]) Vocatur ibi carmen *Ἰλιὰς ἡ ἐλάσσων*. Salmasius in Exercitt. Plin. p. 598. E. diversam a parva Iliade et eamdem cum Cypriis carminibus esse sibi persuasum habuit. Idem l.l. p. 601. A. ex hocce versu in arte poetica Horatii:

Fortunam Priami cantabo et nobile bellum

Graecum confinxit:

Ἀείδω Πριάμοιο τύχαν πόλεμόν τε κλεεννόν

eumque pro primo parvae Iliadis versu venditavit.

Αἴας μὲν γὰρ ἄειρε καὶ ἔκφερε δηϊοτῆτος
ἥρω Πηλείδην, οὐδ' ἤθελε δῖος Ὀδυσσεύς,

τὴν δὲ εἰπεῖν Ἀθηνᾶς προνοίᾳ·

Πῶς ἐπεφωνήσω, πῶς οὐ κατὰ κόσμον ἔειπες
ψεῦδος;

Pergit ita in argumento exponendo Proclus: Aiax armis Ulyssi adiudicatis ad insaniam veniens Achaeorum greges trucidat, sibique ipsi mortem consciscit. Tum Diomedes secundum Heleni ab Ulysse ex insidiis capti vaticinium Philoctetem e Lemno Troiam ducit. Is vulnere ipsius per Machaonem sanato singulari certamine superat necatque Paridem, cuius corpus a Menelao detruncatum sepulcro mandant Troes, quo facto Helenam in matrimonium ducit Deiphobus. Neoptolemo e Scyro Troiam delato Achillis traduntur arma patrisque apparet umbra. Eurypylus Telephi filius Troianis auxilio venit, quem pugna clarum interficit Neoptolemus.

Iam Epeus Minervae consilio equum condit ligneum. Ulysse corpore ipsius manibus foede mutilato speculator Ilium intrat et cum Helena de capienda urbe pactione facta Troianorumque nonnullis occisis ad naves redit; mox Diomedis opera usus Palladium ex Ilio rapit. Tum Graeci fortissimis suorum in Epei equum abditis tentoriisque combustis Tenedum navigant. Troiani vero hostes in patriam fugisse putantes equum ligneum muri parte diruta in urbem recipiunt et tanquam victores laetitiae et commissationi se dedunt. Hac in re finem habuit parva Ilias, cui adnexa erat *Ἰλίου πέρσις* a grammaticis in cyclum non recepta. Posterioris carminis argumentum accuratius explicari non potest; singulas res ex eo afferunt Pausanias aliique. Narrante Lesche Sino Aesimi filius Graecis sublata face urbis invadendae signum dedit cum

νὺξ μὲν ἔην μέσση, λαμπρὴ δ' ἐπέτελλε σελήνη.[3])

[3]) Tzetzes ad Lycophr. 344, ubi vide Müller. et Posthom. 720. ubi conferas Iacobsii notam.

Magetem Troianum ab Admeto Argivo vulneratum tradidit Lesches,[4]) Lycomedem Creontis filium ab Agenore,[5]) Astynoum a Neoptolemo.[6]) Idem poeta scripsit a Diomede Coroebum,[7]) a Neoptolemo Priamum nec non Agenorem,[8]) ab Eurypylo Axionem esse occisos.[9]) Versus, quos ex Ἰλίου πέρσει Leschis Tzetzes servavit et quorum supra memini, sunt hi:

Αὐτὰρ Ἀχιλλῆος μεγαθύμου φαίδιμος υἱὸς
Ἑκτορέην ἄλοχον κατάγει κοίλας ἐπὶ νῆας·
παῖδα δ' ἑλὼν ἐκ κόλπου ἐϋπλοκάμοιο τιθήνης
ῥίψε, ποδὸς τεταγὼν, ἀπὸ πύργου· τὸν δὲ πεσόντα
ἔλλαβε πορφύρεος θάνατος καὶ Μοῖρα κραταίη.
ἐκ δ' ἕλετ' Ἀνδρομάχην, ἠΰζωνον παράκοιτιν
Ἕκτορος, ἥντε οἱ αὐτῷ ἀριστῆες Παναχαιῶν
δῶκαν ἔχειν, ἐπίηρον ἀμειβόμενοι γέρας ἀνδρί.
αὐτόν τ' Ἀγχίσαο γόνον κλυτὸν ἱπποδάμοιο
Αἰνείαν, ἐν νηυσὶν ἐβήσατο ποντοπόροισιν,
ἐκ πάντων Δαναῶν ἀγέμεν γέρας ἔξοχον ἄλλων.

Ceterum permulti posteriorum poetarum Leschis vestigiis institerunt, e quibus affero tragicos,[10]) Pindarum,[11]) Quintum Smyrnaeum,[12]) Tzetzen,[13]) Virgilium.[14]) In variis rebus poetam nostrum expressit Tabulae Iliacae auctor, in qua adscripta legas verba:

---

4) Paus. X, 25. p. 860.

5) Paus. l. l. p. 861.

6) Paus. X, 26. p. 863.

7) Paus. X, 27. p. 865.

8) Paus. l. l.

9) Paus. l. l.

10) Cf. Herm. ad Aristot. l. l.

11) Schol. ad Pind. Nem. VI, 85.

12) Tychsen de Quinto Smyrnaeo p. 28 sq.

13) Vide Iacobs. de Tzetza eiusque carmine p. XXI. sq. nec non notas ad Posthom. 534. 571. 600. 602. 677. 680.

14) Heynii exc. I. ad Virgil. Aen. II, p. 365. sqq. exc. IV, p. 387. exc. IV ** p. 392. exc. V. p. 399. ex. XIII. p. 428.

ΙΛΙΑΣ Η ΜΙΚΡΑ ΛΕΓΟΜΕΝΗ ΚΑΤΑ ΛΕΣΧΗΝ ΠΥΡΡΑΙΟΝ.

Lescheṃ sequatur Telesis Methymnaeus. In fragmento tabulae marmoreae operibus caelatis et inscriptionibus ornatae, de quo in Bib. vet. litt. et art. p. IV. exposuit Herenius, haec leguntur: — *ΜΑΧΙΑΣ ΟΥΧΗΝΤΕΛΕΣΙΣΟΜΗΘΥΜΝΑΙΟΣ.* Videlicet aut *ΓΙΓΑΝΤΟΜΑΧΙΑΣ* aut *ΤΙΤΑΝΟΜΑΧΙΑΣ* scripsisse tabulae auctorem, unde a Telesi eiusmodi carmen conditum esse apparet. Tempus huius poetae, cum nullus veterum scriptorum de eo iniiciat mentionem, definiri non potest. Suspicor tamen illum cyclicorum poetarum aetate haud posteriorem fuisse, quam ob rem hoc loco eum commemorandum duxi.

Transgredior ad citharoediam poesinque cum illa coniunctam, quae iam ante poetarum epicorum, de quibus modo disputavimus, aetatem in Lesbo floruisse putandae sunt. Quanquam enim nullorum, qui ante Terpandrum ad studium musicum se applicuerint, ad nos perlata est mentio, neutiquam tamen Terpandrum arti illi primum operam navasse verisimile est, sed potius ita statuendum, illum citharoediam ab aliis ante ipsius tempora cultam persecutum esse ad altioremque perfectionis gradum evexisse. Artis musicae a Lesbiis excultae incunabula antiquissimis assignanda esse temporibus convincit fabula de Orphei capite lyraque maris fluctibus in Lesbum insulam delatis. Inter veterum scriptorum locos, quibus ea commemoratur, eminent Phanoclis poetae versus praestantissimi. Is nempe postquam Orpheum a Bistoniis mulieribus ideo necatum esse narravit, quod ille Thraces puerilem amorem primus docuerit, ita pergit:

τοῦ δ' ἀπὸ μὲν κεφαλὴν χαλκῷ τάμον· αὐτίκα δ' αὐτὴν
εἰς ἅλα Θρηϊκίην ῥίψαν ὁμοῦ χέλυϊ
ἥλῳ καρτύνασαι, ἵν' ἐμφορέοιντο θαλάσσῃ
ἄμφω ἅμα, γλαυκοῖς τεγγόμεναι ῥοθίοις.

τὰς δ' ἱερῇ Λέσβῳ πολιὴ ἐπέκελσε θαλάσσα,
ἠχὴ δ' ὡς λιγυρῆς πόντον ἐπέσχε λύρης,
νήσους τ', αἰγιαλούς θ' ἁλιμυρέας, ἔνθα λίγειαν
ἀνέρες Ὀρφείην ἐκτέρισαν κεφαλήν.
ἐν δὲ χέλυν τύμβῳ λιγυρὴν θέσαν, ἣ καὶ ἀναύδους
πέτρας καὶ Φόρκου στυγνὸν ἔπειθεν ὕδωρ.
ἐκ κείνου μολπαί τε καὶ ἱμερτὴ κιθαριστὺς
νῆσον ἔχει· πασέων τ' ἐστὶν ἀοιδοτάτη.[15])

Cum hisce versibus comparandus Ovidii locus Metamorph. XI, 50. qui et ipse lyram Orphei una cum eiusdem capite Lesbum delatam esse narrat. Alii solam lyram,[16]) alii solum caput[17]) eo reiectum esse tradunt. In regione Antissaea, ubi caput Orphei sepultum perhibetur, luscinias dulcius quam aliis in locis cecinisse refert Myrsilus Lesbius.[18]) Philostrato narrante caput Orphei cavernam Lesbi inhabitans tam celebria edidit oracula, ut homines sortibus Clariis, Gryneis ac Delphicis neglectis in solam Lesbum ad oracula petenda proficiscerentur.[19])

Secundum hanc igitur fabulam reliquiae Orphei maris fluctibus ad Lesbum appulsae ab incolisque tumulo contectae effecerunt, ut ad artem musicam ingeniosissimi essent Lesbii. De his quid statuendum sit hodie nemo nescit. Videlicet musicos Lesbios antiquissimo tempore arte citharoedica claros poetasque

---

[15]) Apud Stobaeum LXII, p. 399. Ruhnken. epist. crit. II. p. 302.

[16]) Nicomach. Geras. lib. II. p. 29. edit. Meibom. Apud Philostratum Heroic. cap. X. p. 713. vocem λύραν immerito ab Oleario deletam esse, monuerunt Niclas ad Antigonum Carystium p. 10. edit. Beckmann. et Boettigerus in Attico Museo T. I. Fasc. II. p. 333.

[17]) Antig. Caryst. c. 5. Hygin. Poet. Astron. p. 373. edit. Muncker. Eustath. ad D. P. 537.

[18]) Apud. Antig. c. 5.

[19]) Philost. vit. Apollon. Tyan. IV, 14. p. 151. Heroic. c. V. p. 703 sq. edit. Olear.

lyricos, qui eos secuti sunt, ad fabulam illam fingendam occasionem praebuisse. Sensit hoc etiam Eustathius, qui in commentario ad D. P. v. 537. τοῦτο δὲ ἐμυθεύθη, inquit, διὰ τὸ ἀρίστους ἐκεῖ καὶ μετὰ Ὀρφέα γενέσθαι ἄνδρας λογίους. Potest tamen res accuratius explicari. Boeotiam, unde in Lesbum traiecerunt coloni Aeolici, a Thracibus, quos arte musica maxime inclaruisse inter omnes constat, olim cultam esse supra demonstravimus. Quae cum ita sint, suspicor fabula de Orphei capite lyraque illud significari, Aeoles citharoediam a Thracibus Boeoticis acceptam Lesbum transtulisse ibique perfecisse. Memoria antiquissimorum musicorum abolita, statim ad Terpandrum artis citharoedicae principem progrediamur.

Lesbium fuisse Terpandrum, marmoris Parii,[20]) Pindari[21]) aliorumque scriptorum testimoniis certissimis comprobatur, ut ulla de hac re dubitatio oboriri nequeat. Caveas ne repugnare arbitreris Suidam, qui Terpandrum, secundum narrationem quorumdam Antissa Lesbi oppido oriundum ab aliis Cymaeum, ab aliis Arnae urbis Boeotiae civem perhiberi scribit.[22]) Saepenumero enim factum esse videmus, ut unus idemque homo et coloniae ab alia civitate constitutae et ipsius metropolis diceretur civis, cuius rei permulta ex veterum scriptis afferri possunt exempla. Mimnermum poetam, ex Colophone plurimis scriptoribus testibus oriundum pro Smyrnaeo a nonnullis habitum esse adnotavit Suidas.[23]) Hecataeum e celebrioribus Alexandri scriptoribus unum, qui Aeliano, Stephano Byzantio, Clementi Alexandrino, Iosepho, Eusebio multisque aliis Abderites dicitur, Zornius pro eodem ha-

---

[20]) Epoch. XXXV.

[21]) Apud Athen. XIV. p. 635. D.

[22]) S. v. Τέρπανδρος.

[23]) S. v. Μίμνερμος.

bet cum Hecataeo a Strabone[24]) inter illustres Teios relato. Sic enim ille in animadversionibus ad Hecataei Abderitae Eclogas p. 2. *Cum vero Hecataeus noster a Christoph. Cellario Geographiae antiquae lib. III, c. 3. p. 74. Teius appellatur, utrumque illud cognomen facile conciliare poteris. Nam Anacreontis aetate Teii, non tolerantes Persarum contumelias, relicta Teo Abderam Thraciae urbem concesserunt, unde dictum manavit: Ἄβδηρα καλὴ Τηΐων ἀποικία.* Animadvertit Creuzerus ad hist. Graec. fragment. p. 6. Zornium in eo lapsum esse, quod sententiam suam iam a Cellario propositam esse dicat. Illum enim Strabonis narrationem sequentem illud tantum dicere, Teon patriam fuisse Hecataei rerum scriptoris Anacreontisque poetae. De ipsa Zornii sententia nihil decernit Creuzerus. Equidem verum vidisse Zornium Hecataeumque a Cellario seu Strabone commemoratum ab eo quem Abderitam appellant haud diversum fuisse mihi persuasum habeo. Eodem modo Protagoras Abderites Teius a quibusdam perhibitus est. Suidas: *Πρωταγόρας Ἀβδηρίτης, υἱὸς Ἀρτέμωνος, ἢ καὶ Μαιανδρίου· τινὲς δὲ αὐτὸν καὶ Τήϊον ἔγραψαν.* Eorum unus est Eupolis apud Diogenem Laertium IX, 50.

Simili ratione Terpander Lesbius ad quem nunc revertimur Arnaeus nonnullis dictus est.[25]) Arne urbs fuit antiquissima Boeotorum, ex Phthiotide in terram ipsorum nomine posthac appellatam a Thessalis coniectorum.[26]) In Boeotiam, ut supra monuimus, Achaeorum colonia ex Peloponneso profecta est incolarumque tam multos sibi adiunxit, ut Boeoticae nomen inde acciperet. Igitur Arne ceteraeque Boeotiae urbes quodammodo pro coloniarum in Lesbo constitutarum

---

[24]) Lib. XIV, p. 644.

[25]) Müller. Hist. Gent. Dor. I. p. 122. sq.

[26]) Müller. Orchom. p. 392.

matribus haberi possunt. Iam cur Cymaeus a nonnullis appellatus sit Terpander intelliges. Verisimile enim est ex urbe illa a Cleva et Malao, ut supra diximus, condita in Lesbum haud longinquam colonias missas esse. Cyme Terpandro patria tributa facile occasionem praebere potuit ad genus viri illius ab Homero et Hesiodo repetendum, quod fecisse quosdam narrat Suidas.[27]) Patrem Hesiodi Cyme Aeolica relicta Ascram Boeotiae pagum commigrasse ex ipso poeta compertum habemus. Nec defuerunt, qui Homerum a Cyme originem traxisse dicerent. Ita fieri potuit, ut Terpandri genus alii ab Hesiodo alii ab Homero deducerent. Posteriores, teste Suida, Boei filium, Phocei nepotem, Euryphontis ab Homero geniti pronepotem perhibuerunt Terpandrum, cui revera pater fuit Derdeneus, ut in Chronico Pario memoriae proditum.[28])

Antissam patriam Terpandri fuisse multo verisimilius est, quam Methymnae illum natum esse. Illud enim a Plutarcho,[29]) Stephano Byzantio,[30]) Suida,[31]) Clemente Alexandrino[32]) aliisque[33]) confirmatur, hoc Diodori tantum, scriptoris parum diligentis, auctoritate nititur.[34])

---

27) Suidas s. v. *Τέρπανδρος*.

28) Epoch. 32. *ΤΕΡΠΑΝΔΡΟΣ Ο ΔΕΡΔΕΝΕΟΣ* de quibus quid faceret ignorabat Seldenus. *Δερδενεύς* appellabatur pater Terpandri, ut recte viderunt Th. Lydiatus et Palmerius.

29) De musica c. 30.

30) S. v. *Ἄντισσα*.

31) S. v. *Τέρπανδρος* et in *μετὰ Λέσβιον ᾠδόν*.

32) Stromat. lib. I, p. 309.

34) Trahendus mihi huc videtur locus ex Nicomachi Geraseni Ench. Harm. (lib. II, init. p. 29. edit. Meibom.) *Ἀναιρεθέντος τοῦ Ὀρφέως ὑπὸ τῶν Θρᾳκικῶν γυναικῶν, τὴν λύραν αὐτοῦ βληθῆναι εἰς τὴν θάλασσαν, ἐκβληθῆναι δὲ εἰς Ἄντισσαν πόλιν τῆς Λέσβου. εὑρόντας δὲ ἁλιέας ἐνεγκεῖν τὴν λύραν πρὸς Τέρπανδρον.*

De tempore quo collocandus sit Terpander haud multum ambigi potest. Hellanicus enim Lesbius[35]) eum in Carneis, Olympiade vicesima sexta Lacedaemone institutis,[36]) primum omnium vicisse narrat. Annis CCCLXXXI. ante Diognetum, Olymp. CXXIX, 1. Athenis Archontem, arte musica inclaruisse illum asserit Chronicon Parium, adstipulante Eusebio, qui ad Ol. XXXIII, 2. ita scribit: *Terpander citharoedus insignis habetur.* Hinc Terpandrum praesertim ab Olympiade vicesima sexta usque ad tricesimam tertiam celebrem exstitisse satis apparet. Iam quatenus reliquae de aetate Terpandri narrationes ei, quam nos modo probavimus, conciliandae sint videamus. Idem Hellanicus, qui primum in Carneorum certamine victorem perhibet citharoedum illum, apud Clementem Alexandrinum Strom. I. p. 398. edit. Potter. *Τέρπανδρον ἱστορεῖ κατὰ Μίδαν γεγονέναι.* Dodwellus de Graecorum Romanorumque cyclis diss. III, p. 130 sq. hancce Hellanici Lesbii narrationem nonnisi de Terpandri natali veram esse contendit, quem non satis distinguant in hoc obscurae adhuc historiae seculo scriptores. Sic igitur intelligendos esse, natum fuisse Terpandrum ante Midae Phrygum regis mortem, quam Olympiadi vicesimae sextae exeunti Eusebii narrationem secutus assignaverat Dodwellus. Si anno Olympiadis vicesimae vel ultimo natus fuerit, tunc sane annum quinquagesimum egerit oportere illo tempore, quo insignem illum fuisse censet Eusebius: convenire Chronicon Marmoreum in anno quarto Olympiadis XXXIII; in Carneorum vero certamine Terpandrum victorem egisse annum saltem vicesimum primum, quod satis commodum sit, concludit Dodwellus. Sed non opus, ut talem ineamus rationem, praesertim ea de caussa prorsus improbabilem, quod verbum *γεγονέναι*,

---

35) Tom. II. p. 639.

36) Athen. XIV, p. 635. C.

quo utitur Hellanicus, semper fere ea potestate in veterum scriptis positum reperimus, ut *florere*, *vitam degere* significet. Nihil est, quod scriptorem Lesbium de illo Mida cogitasse arbitremur, cuius mortem ad Olympiadem vicesimam retulit Eusebius. Vidit Phrygia complures reges eo nomine appellatos, quos praeter ipsum Henricum Dodwellum certiore ordine descripsit Bouhierius in dissertationibus Herodoteis cap. VIII.[37]) De uno Midarum illorum, qui post Olympiadem vicesimam Phrygiae imperium adepti sunt, loqui putandus est Hellanicus, quemnam in mente habuerit certo definiri nequit. Vides historicum illum neutiquam sibi repugnare facilique labore narrationes eius diversis locis positas inter se conciliari posse. Mirum vero, quod Athenaeus lib. XIV. p. 635. ait, Hieronymum in libro de citharoedis referre Terpandrum ad Lycurgi legislatoris tempora, quem magno consensu narrant omnes cum Iphito Eleo instituisse eam, quam primam numerant, Olympiadem. Dodwellus l. l. p. 142 sq. non temere suspicatum esse credit Timaeum, accuratae chronologiae patrem ab ipso appellatum, duos fuisse diversorum temporum in Sparta Lycurgos, quorum amborum gesta alteri propter maiorem nominis celebritatem attributa fuerint. Potuit ergo, ut perhibet Dodwellus, similiter Hieronymus utrique Lycurgo aequales poetas eidem assignasse, et qui iunioris Lycurgi fuerant, seniori tribuisse, in quibus et Terpandrum. Neque eum, nisi id fecisset, quinque libros de poetis ante Olympiades florentibus implere potuisse arbitratur Dodwellus. Poterant, eodem Dodwello iudice, et tres fuisse Lycurgi: primus Prytanidis filius vel Eunomi, ab Hercule decimus vel undecimus, secundus, qui cum Iphito Olympiades restaurarit, tertius denique qui iunior Homero, senior autem Terpandro fuerit:

[37]) Cf. Wesseling. et Larcher. ad Herodot. I, 14.

fuerit; iunior scilicet Olympiade vicesima tertia, senior autem Olympiade vicesima sexta vel trigesima tertia. Sic enim omnia convenire ait Dodwellus. Opinio haec quanti aestimanda sit nemo ignorat. Tantum abest, ut de duobus tribusve Lycurgis cogitari possit, ut vix unus unquam exstitisse putandus sit. Videlicet Hieronymi de aetate Terpandri narrationem ei, quam ex Hellanico, Eusebio et Marmore Pario attulimus, haud facile conciliari posse. Certe ipsas haud conciliavit Sturzius, qui ad Hellanici fragmenta p. 85. ita scribit: *Si sumamus Sosimum,* (Sosibium ap. Athen. l. l.) *cum nominaret Olympiadem vicesimam sextam, veram Olympiadum epocham secutum esse, e qua Olympias epochae vulgaris prima est Iphitea duodetrigesima, sequi videtur, Terpandrum Carnea vicisse octo fere annis ante Iphiteam ludorum Olympicorum instaurationem. Quam rationem non repugnare Hieronymi rationi sponte intelligitur.* Mirus error, quo implicatus est vir doctus, sponte apparet. Non vero est, ut in diversissimis illis de aetate Terpandri narrationibus conciliandis frustra laboremus, cum Hellanici eorumque qui eum secuti sunt narrationem unice veram esse pateat cumque facile perspici queat, quo factum sit, ut Hieronymus Lycurgo aequalem assignaret Terpandrum. Citharoedum nempe illum leges Lycurgo attributas vocum sonis primum rescripsisse Graecis notissimum erat. Res illa sententia mea fraudi fuit Hieronymo eumque eo adduxit, ut Terpandrum, ab Olympiade vicesima sexta usque ad tricesimam tertiam arte musica clarum, ad Lycurgi legislatoris aetatem, vel potius id tempus, quo ille Lacedaemoniorum civitatem rexisse vulgo creditur, transferret.[38])

Restat, ut de sententia Glauci Itali a Plutarcho

[38]) Cf. Freret. Chronologie de Newton Tom. II, p. 198 — 203. edit. Paris. 1796. qui probata Hellanici ratione Hieronymum bene refutat.

commemorata dicamus. Is nempe in libro de veteribus poetis et musicis demonstrasse fertur Terpandrum antiquiorem fuisse Archilocho: Πρεσβύτερον αὐτὸν Ἀρχιλόχου ἀποφαίνει Γλαῦκος ὁ ἐξ Ἰταλίας ait Plutarchus de mus. c. 4. et paullo post (c. 5.) μετὰ δὲ Τέρπανδρον καὶ Κλονᾶν Ἀρχίλοχος παραδίδοται γενέσθαι. Archilochus, Herodoto teste, vixit aetate Gygis, qui ab Olympiade decima tertia usque ad vicesimam tertiam Lydorum obtinuit imperium. Valde igitur ab Hellanico, Eusebio et Marmore Pario discrepat Glaucus Italus, cuius sententiam Dodwellus l. l. pariter atque Hellanici narrationem e Clemente Alexandrino supra allatam nonnisi de natali Terpandri veram esse existimat. Nos Glauci et Hellanici sententias inter se conciliari non posse, sed alteram amplectendam, alteram reiiciendam statuimus. Glauci narrationem eo minus probandam arbitramur, quo magis ei adversatur Phanias Eresius, qui apud Clement. Alex. Strom. I. p. 398. Leschen ante Terpandri aetatem ponens Archilocho posteriorem perhibet Terpandrum.

De reliqua Terpandri vita nihil compertum habemus praeter paucissima, ad artem qua inclaruit spectantia. Eum in Carneorum certamine, quae inde a vicesima sexta Olympiade in honorem Apollinis Καρνείου celebrabantur, primum omnium victorem evasisse narraverat Hellanicus tum carmine illo quo Καρνονίκας h. e. Carneorum victores recensuit, tum in opere oratione soluta de eadem re conscripto.[39]) Eumdem quater deinceps Pythia vicisse apud Plutarchum legimus,[40]) neque id illis quae de Terpandri aetate antea protulimus repugnat. Licet enim Pythiades inde ab Olymp. XLVIII, 3. numeratas esse demonstratum sit[41]) tamen diu ante illud tempus citharoedos Del-

[39]) Athen. XIV, p. 635. E.

[40]) De mus. c. 4.

[41]) A Boeckhio in Explicatt. ad Pindar. Olymp. XII. p. 206 sqq.

phis inter se certasse ex Strabone, Pausania aliisque convinci potest. Tumultus a Terpandro musices ope oppressi permulti meminerunt scriptores. Lacedaemoniis nempe seditione laborantibus Apollinisque oraculum consulentibus a Pythia id datum est responsum, ut musicum Lesbium Spartam arcesserent. Tum Terpander ob commissam caedem exsul Lacedaemona vocatus est, qui in syssitiis fidibus canens tantopere commovit Lacedaemoniorum animos, ut illi discordiarum obliti inque lacrymas effusi invicem se complecterentur.[42]) Inde ab illo tempore summo in honore habebatur Terpander a Spartanis, qui si quando post haec musicum quempiam insigniorem audirent exclamabant: *μετὰ Λέσβιον ᾠδόν*, quasi maximae laudes essent, quas musico dare possent, eum dicere Terpandro secundum. Alia narratio de admirabili musices Terpandri vi exstat apud Boëthium in libro de musica, qui eum ipsius arte Lesbios Ionesque morbis liberasse tradit.

Iam musicam a Terpandro excultam accuratius consideremus et quaenam illius de arte citharoedica fuerint merita videamus. Primum animadvertendum illum gloriam, qua insignis fuit, non inter populares suos, sed in Peloponneso, ubi maximam vitae partem

---

[42]) Plutarch. de mus. c. 42. de proverb. Alexandrinorum CX. de sera num. vind. 13. Diodor. Fragment. Tom. II. p. 639. edit. Wesseling. (Tzetzes Chil. I, 16.) Aristid. orat. de concord. ad Rhod. et Platon. II. p. 305. 311. Zenob. Cent. prov. 9. Suid. Hesych., Diogenian, s. v. *Μετὰ Λέσβιον ᾠδόν*. Schol. ad Homer. Odyss. III. 267. p. 99. edit. Buttmann. Christodorus in Anthol. Graec. Tom. III. p. 165. Iacobs. de statua Terpandri in balneo Zeuxippi nomine appellato posita:

Μήτε λίπῃς Τέρπανδρον εὔθρονον, οὗ τάχα φαίης
ἔμπνοον, οὐκ ἄφθογγον ἰδεῖν βρέτας· ὡς γὰρ ὀΐω,
κινυμέναις πραπίδεσσιν ἀνέπλεκε μύστιδα μολπὴν,
ὧς ποτε δινήεντος ἐπ᾽ Εὐρώταο ῥοάων
μυστιπόλῳ φόρμιγγι κατεπρήϋνεν ἀείδων
ἀγχεμάχων κακότητας Ἀμυκλαίων ναετήρων.

transegit, consecutum esse. Victoria Spartae in Carneorum certamine ob aemulis laudum reportata operaque egregia Lacedaemoniis discordia afflictis praestita magnum inter illos sibi comparaverat nomen Terpander, magis tamen eo inclaruit, quod veterem Spartanorum musicam in melius convertit. Plutarchus de musica cap. IX. Ἡ μὲν οὖν πρώτη κατάστασις τῶν περὶ τὴν μουσικὴν ἐν τῇ Σπάρτῃ Τερπάνδρου καταστήσαντος γεγένηται. Noluit scriptor verbis hisce id indicare, Terpandrum primum musicam docuisse Lacedaemonios. Constat enim iam ante citharoedorum Lesbiorum aetatem Peloponnesios artis musicae peritia praestitisse ceteris Graeciae cultoribus, ut unus e primitivis Graecorum modis Dorius appellatus sit. Sed illud potius dicit Plutarchus Terpandrum musicam, quam ante ipsius aetatem in usu habuerint Spartani, immutasse, neque in deterius. Plutarchi verbis adiungenda Chronici Parii Epocha XXXV, de cuius parte posteriore nunc nobis exponendum est, prior enim alio loco disputandi nobis praebebit materiam. A Iohanne Seldeno primo Marmorum Arundellianorum editore in eo loco scriptum: *ΤΗΝΕΜΠΡΟΣΘΕΜΟΥΔΙΚΗΝΜΕΤΕΣΤΗΣΕΝ*, ex qua lectione inepta sensum ineptum elici necesse erat. Putat nempe Seldenus Chronici Parii auctorem legitimae musicae in patria sua praefectum fuisse prehensionemque, seu in ius vocationem, seu utramque habuisse eorum, qui contra quam leges aut mores recepti statuissent, musicam innovavissent: atque ita Terpandri novationem narrantem, alium sibi aequalem obiter et in parenthesi memorasse, qui Terpandri exemplum secutus etiam in receptos illos harmoniae mores commiserit et in ius demum vocatus absolutus sit. Palmerius reponendum esse censuit *ΤΗΝΕΜΠΡΟ ΘΕΣΜΟΥΔΙΚΗΝΜΕΤΕΣΤΗΣΕΝ*, ἐμπροθέσμου δίκην de lege rhythmi accipiens idque verbis illis indicari arbitratus, antiquum rhythmi morem mutasse Terpandrum. Thomas Lydiatus, quem sequitur Prideauxius,

ΤΗΝΕΜΠΡΟΣΘΕΔΗΜΟΥΔΙΚΗΝΜΕΤΕΣΤΗΣΕΝ coniicit, de Terpandri coram populo Lacedaemoniorum lite cogitans, quam ad rem infra redibimus. Lectiones hae ad unam omnes falsae neque ullo pacto admittendae sunt. Verum invenit vir doctus in Observationibus Miscellaneis, Vol. II, Tom. III, p. 341 sqq. qui in re haud ambigua iusto copiosior est nimioque sermone ad falsas ceterorum coniecturas refellendas utitur. Apertissimum enim Chronici Parii auctorem *ΤΗΝΕΜΠΡΟΣΘΕΜΟΥΣΙΚΗΝΜΕΤΕΣΤΗΣΕΝ* scripsisse, ad musicam a Terpandro mutatam respicientem. Recte idem vir doctus monet inferiorem lineam litterae *Σ* facile sumi potuisse pro basi litterae *Δ*, cum litterae tam tritae fuerint, ut sine maximo labore legi non possent. *ΜΟΥΣΙΚΗΝ* reposuit etiam Chandlerus in sua Marmorum Arundellianorum editione, neque eam loci restituendi rationem ignorabat I. R. Forsterus, qui in eo Chronici Parii exemplo, quod ipsius manu scriptum in bibliotheca Berolinensi servatur, super litteram *Δ* exaravit *Σ*.

Quaeritur nunc, quanam ratione veterem musicam mutaverit Terpander. Primo loco illud commemorandum, eum lyram quattuor antehac fidibus contentam septem nervis primum instruxisse, qua de re non est cur dubitemus, cum ipse Terpander inventi heptachordi gloriam sibi vindicet versibus hisce ab Euclide Straboneque servatis:

Ἡμεῖς τοι τετράγηρυν ἀποστέρξαντες ἀοιδὴν
Ἑπτατόνῳ φόρμιγγι νέους κελαδήσομεν ὕμνους.[43])

---

[45]) Sic versus leguntur apud Euclid. introduct. Harmon. p. 19. Strabo lib. XIII. p. 618. versum priorem ita scribit: *Σοὶ δ᾽ ἡμεῖς τετράγηρυν ἀποστρέψαντες ἀοιδήν.* Posteriorem habet etiam Clemens Alexandrinus Stromat. II, p. 685. C. *ἑπτατόνῳ φόρμιγγι νέους κελαδήσομεν ὕμνους, ποιητής τις οὐκ ἄσημος γράφει.* — Locum hunc Plutarchi in libro de musica c. 30. *ὁμοίως δὲ καὶ Μελανιππίδης ὁ μελοποιὸς ἐπιγενόμενος, οὐκ ἐνέμει-*

Terpandri heptachordum Lacedaemoniis continuo in usu fuisse, quo pluribus certioribusque veterum testimoniis comprobatur, eo maiorem admirationem nobis iniici necesse est a Plutarcho, qui Terpandrum ob auctum chordarum numerum ab Ephoris supplicio affectum esse scribit: *Τὸν Τέρπανδρον* (sic ille de inst. Lacon. p. 251. edit. Hutten) *ἀρχαϊκώτερον ὄντα καὶ ἄριστον τῶν καθ' ἑαυτὸν κιθαρῳδῶν καὶ τῶν ἡρωϊκῶν πράξεων ἐπαινέτην· ὅμως οἱ Ἔφοροι ἐζημίωσαν καὶ τὴν κιθάραν αὐτοῦ προςεπασσάλευσαν φέροντες, ὅτι μίαν μόνην χορδὴν ἐνέτεινε περισσοτέραν τοῦ ποικίλου τῆς φωνῆς χάριν.* Cum haec Plutarchi narratio illis, quae de Terpandri lyra Lacedaemoniis legibus sancita apud alios scriptores legimus prorsus repugnet, pro falsa a nonnullis habita est, qui Terpandrum ob mutatam musicam in ius quidem coram populo vocatum, nec tamen ab illo condemnatum, sed suffragio eius absolutum esse statuunt. Eorum unus est Humphridus Prideauxius, Marmorum Arundellianorum editor. Is nempe

---

νε τῇ προϋπαρχούσῃ μουσικῇ, ἀλλ' οὐδὲ Φιλόξενος, οὐδὲ Τιμόθεος· οὗτος γὰρ, ἑπταφθόγγου τῆς λύρας ὑπαρχούσης ἕως εἰς Τέρπανδρον τὸν Ἀντισσαῖον, διέῤῥιψεν εἰς πλείονας φθόγγους foede corruptum esse convenit inter eruditos. Vide Boeckh. de metr. Pindari lib. p. 205. — Plinius H. N. VII. 56. *citharam Amphion vel ut alii Orpheus invenit. Septem chordis tribus ad quattuor additis Terpandrr. Octavam Simonides addidit, nonam Timotheus.* — Fabulosa de lyra Terpandri habet Nicomachus Gerasenus Harmon. Man. lib. II. p. 29. Meib. *Τὴν λύραν, τὴν ἐκ τῆς χελώνης φασὶ τὸν Ἑρμῆν εὑρηκέναι καὶ κατασκευάσαντα ἑπτάχορδον, παραδεδωκέναι τὴν μάθησιν τῷ Ὀρφεῖ· Ὀρφεὺς δὲ ἐδίδαξε Θάμυριν καὶ Λίνον. Λίνος Ἡρακλέα, ἀφ' οὗ καὶ ἀνῃρέθη. ἐδίδαξε δὲ Ἀμφίωνα τὸν Θηβαῖον, ὃς ἐπὶ τῶν ἑπτὰ χορδῶν ἑπταπύλους τὰς Θήβας ᾠκοδόμησεν. Ἀναιρεθέντος δὲ τοῦ Ὀρφέως ὑπὸ τῶν Θρᾳκικῶν γυναικῶν, τὴν λύραν αὐτοῦ βληθῆναι εἰς τὴν θάλασσαν. ἐκβληθῆναι δὲ εἰς Ἄντισσαν πόλιν τῆς Λέσβου. εὑράκτας δὲ ἁλίεας ἐνεγκεῖν τὴν λύραν πρὸς Τέρπανδρον· τὸν δὲ κομίσαι εἰς Αἴγυπτον. εὑράντα (ἐνταῦθα. tum?) δὲ αὐτὸν ἐκπονήσαντα ἐπιδεῖξαι τοῖς ἐν Αἰγύπτῳ ἱερεῦσιν ὡς αὐτὸν πρωθευρετὴν γεγενημένον. Τέρπανδρος μὲν οὕτως λέγεται τὴν λύραν εὑρηκέναι.*

cum Thoma Lydiato in eo Chronici Parii loco, de quo antea sermo factus est, *ΤΗΝΕΜΠΡΟΣΘΕΔΗΜΟΥΔΙΚΗΝΜΕΤΕΣΤΗΣΕΝ* ponendum esse sibi persuasum habens, ad litem in Terpandrum a Lacedaemoniis illatam respici arbitratur; Terpandrum, maximo semper honore ornatum, propter lyram legibus sanctam solamque in usu habitam Spartanos supplicio unquam affecisse omnino negat. A nobis vero Chronici Parii loco sensum inesse plane diversum ab eo, quem falsa coniectura intulit Lydiatus, supra demonstratum est, ut locus ille cum Plutarchi narratione nullo modo comparari possit, quae utrum vera sit, an non, diiudicatu difficile est. Parum sane verisimile videtur Terpandrum, cuius lyram septem chordis instructam tanto in honore habebant Lacedaemonii, ut in Phrynidem et Timotheum qui novos illi addiderunt nervos animadverterent, unquam mulctatum fuisse, nisi forte aliquis Plutarchi narrationem sic defendere velit, ut dicat, Spartanos primo quidem poenas sumsisse de Terpandro lyramque eius muro clavis affixisse, deinde vero sententia mutata mulctam illi irrogatam praemio compensasse citharamque solenni decreto sancitam in usu perpetuo habuisse. Equidem tamen haud multum tribuo huic rationi. Maxime autem in eo haereo, quod de una chorda primitivo nervorum numero e Terpandro addita scribit Plutarchus. Nam non unam tantum, sed tres chordas quattuor pristinae lyrae nervis adiunxisse Terpandrum certo constat. Quae cum ita sint, ego narrationem Plutarchi iis, quae a ceteris scriptoribus proferuntur unquam probabiliter conciliatum iri vehementer dubito.[44])

Iam quomodo heptachordum Terpandri compara-

[44]) Ad rem a Plutarcho memoratam respicere arbitrantur Athenaeum lib. XIV, p. 628. B. *Λακεδαιμόνιοι δὲ*, inquit, *εἰ μὲν ἐμάνθανον τὴν μουσικὴν, οὐδὲν λέγουσιν· ὅτι δὲ κρίνειν δύνανται καλῶς τὴν τέχνην ὁμολογεῖται παρ᾽ αὐτῶν. καί φασι τρὶς ἤδη σεσωκέναι διαφθειρομένην αὐτήν.* Sic enim statuunt, primum eorum, qui ob corruptam musicam supplicio affecti sint, Terpandrum esse, secundum Phrynidem, tertium Timotheum.

tum fuerit videamus.[45]) Systema simplicissimum tetrachordum, cuius auctor fertur Mercurius ipse diatessaron complectebatur. Ex duobus tetrachordis compositum: est heptachordum disdiatessaron sonans, ita quidem, ut alterius tetrachordi sonus gravissimus alterius esset acutissimus. Eiusmodi tetrachorda appellantur *coniuncta* (*συνημμένα*); coniunctio enim seu *συναφὴ* est *δύο τετραχόρδων ἑξῆς μελῳδουμένων ὁμοίων κατὰ σχῆμα φθόγγος κοινός.*[46]) Mox inter bina tetrachorda tonus interpositus est, unde systema natum symphoniam diapason complectens. Neque tamen ideo octo chordis instructa fuit lyra Terpandri, qui heptachordum ipsum ita temperavit, ut extremi soni consonarent diapason, omittens tertiam ab acuto tetrachordi acutioris chordam, quae posthac appellata *τρίτη*, cum quae olim *τρίτη* nuncupata esset *παραμέσης* sortiretur nomen. Quae ut facilius intelligi possint heptachordum Terpandri cum octachordo, quo posteriores Graeci usi sunt, comparemus:

	Heptachordum		Octachordum
	νήτη	— — — — — — —	*νήτη*
		tonus	
Trihemitonium	*παρανήτη*	— — — — — —	*παρανήτη*
		tonus	
	. . . . . .	— — — — — —	*τρίτη*
		limma	
	τρίτη	— — — — — — —	*παραμέση*
		tonus	
	μέση	— — — — — — —	*μέση*
		tonus	
	λιχανός	— — — — — — —	*λιχανός*
		tonus	
	παρυπάτη	— — — — — —	*παρυπάτη*
		limma	
	ὑπάτη	— — — — — — —	*ὑπάτη*

[45]) In iis quae sequuntur Boeckhii vestigia accurate pressimus. Vide lib. III. de metr. Pindari p. 205. et libellum de Philolai Pythagorei scriptis pag. 72. 73.

[46]) Euclid. p. 17.

Chordam in Terpandri heptachordo omissam non prorsus ignorasse veteres Graecos, sed de industria ea abstinuisse ait Plutarchus.[47]) Hac assumpta et τρίτης nomine nuncupata, illa chorda, quae antea, cum tertia a nete essent, τρίτη appellabatur, παραμέση vocata est. Terpandri lyra etiam Pindarum, spreta octava chorda usum esse, ex ipso poeta illo comprobari potest. Pyth. II, 70.

ἄθρησον χάριν ἑπτακτύπου
φόρμιγγος ἀντόμενος.

Nem. V, 22.

πρόφρων δὲ καὶ κείνοις ἄειδ' ἐν Παλίῳ
Μοισᾶν ὁ κάλλιστος χορὸς, ἐν δὲ μέσαις
φόρμιγγ' Ἀπόλλων ἑπτάγλωσσον χρυσέῳ πλάκτρῳ
διώκων
ἁγεῖτο παντοίων νόμων.

Barbitum seu magadin invenisse Terpandrum, ait Pindarus, laudatus ab Athenaeo, qui ita lib. XIV, p. 685. D. Ἀγνοεῖ δὲ ὁ Ποσειδώνιος ὅτι ἀρχαῖόν ἐστιν ὄργανον ἡ μάγαδις, σαφῶς Πινδάρου λέγοντος, τὸν Τέρπανδρον ἀντίφθογγον εὑρεῖν τῇ παρὰ Λυδοῖς πηκτίδι τὸν βάρβιτον·

Τόν ῥα Τέρπανδρός ποθ' ὁ Λέσβιος εὗρε
πρῶτος ἐν δείπνοισι Λυδῶν,
ψαλμὸν ἀντίφθογγον ὑψηλᾶς ἀκούων πηκτίδος.

De magadide permulta cum a veteribus,[48]) tum a recentibus[49]) dicta sunt. Constat genus fidium illam fuisse, duo minime diapason complectens, quorum chordae respondentes sibi consonabant hac ipsa symphonia, etiam antiphonia appellata. Adiungi solebant chori virorum mulierumque, ita quidem, ut harum cantus

---

[47]) de musica cap. 19.
[48]) Athenaeus lib. XIV, p. 634. E. sqq.
[49]) Boeckh. de metr. Pind. III, p. 261 sqq.

diapason acutioris, illorum autem voces diapason gravioris sonis concinerent. Eiusmodi cantica *ἀντίσπαστα* et *ἀντίφθογγα μέλη* nuncupabantur. Usum vero praestitit magadis absque ullo plectro, sola digitorum pulsatione. Quae omnia cognosci possunt ex hocce Athenaei loco (lib. XIV. p. 635. B.) *Ἀριστόξενος δὲ, τὴν μάγαδιν καὶ τὴν πηκτίδα χωρὶς πλήκτρου διὰ ψαλμοῦ παρέχεσθαι τὴν χρείαν, διόπερ καὶ Πίνδαρον εἰρηκέναι ἐν τῷ πρὸς Ἱέρωνα σκολιῷ τὴν μάγαδιν ὀνομάσαντα, ψαλμὸν ἀντίφθογγον, διὰ τὸ δύο γενῶν ἅμα καὶ διαπασῶν ἔχειν τὴν συνῳδίαν ἀνδρῶν τε καὶ γυναικῶν· καὶ Φρύνιχος δ᾽ ἐν Φοινίσσαις εἴρηκε·*

ψαλμοῖσιν ἀντίσπαστ᾽ ἀείδοντες μέλη.

καὶ Σοφοκλῆς ἐν Μυσοῖς·

Πολὺς δὲ Φρὺξ τρίγωνος, ἀντίσπαστά τε
Λυδῆς ἐφύμνει πηκτίδος συγχορδία.

Si revera magadin primus invenit Terpander, quod mihi quidem parum verisimile videtur, res ita accipienda. Pectis quam inter Lydorum epulas audivisse fertur musicus ille, instrumentum soni acutioris fuisse putanda est, cui tot chordas addidisse arbitreris Terpandrum, ut totum systema diapason complecteretur. Illud diapason acutius graviori, quod heptachordo antea invento continebatur iunxisse videtur musicus eaque ratione magadin illam perfecisse. In Pindari fragmento genitivi *ὑψηλᾶς πηκτίδος* a *ψαλμὸν* pendent ut sensus sit: *Barbitum olim Terpander Lesbius inter Lydorum epulas primus excogitavit, audiens sonum respondentem altae* (i. e. acutae) *pectidis*, quod ex Athenaei verbis, quae posteriore loco posui, satis apparet. Cur *ψαλμὸν ἀντίφθογγον* dixerit Pindarus, in ipso Athenaei loco indicat Aristoxenus. Referendum hoc ad duo diapason pectidi Lydiae prolepsi a Pindaro attributa, quorum chordae sibi respondentes efficiebant antiphoniam. Hinc Pindari *ἀντίφθογγον* explicatur pariter ac Phrynichi et Sophoclis *ἀντίσπα-*

στον et Diogenis Tragici[50]) *ἀντίζυγον*. Ceterum magadin eamdem esse cum Graeca pectide affirmant Aristoxenus et Menaechmus Sicyonius,[51]) ambo instrumenta inter se differe perhibent Diogenes Tragicus et Phillis Delius.[52]) Priorum sententiam quamvis veram putem, illud tamen mihi persuasissimum est, pectidem Lydiam, cuius meminit Pindarus, a magadide quae Terpandro reperta tribuitur, prorsus discrepasse. Nam si pectis illa instrumentum erat a magadide haud diversum, h. e. diapason duo complectens, non video quidnam ingenio Terpandri inveniendum relictum fuerit. Sed tota Pindari de barbito seu magadide narratio mihi valde incerta videtur, qui Terpandrum primum instrumenti illius inventorem fuisse vehementer dubitem. Cum Menaechmus Sicyonius apud Athenaeum lib. XIV. p. 635. B et E pectide Graeca, quam eamdem esse ait cum magadide, Sapphonem primam usam esse scribat, facile eo adducor, ut calculo scriptoris huius narrationi adiecto, instrumenti illius inventionem, poetriae Mytilenaeae assignandam, a Pindaro in Terpandrum poetica licentia translatam esse arbitrer. Redeundum nobis erit ad hanc rem, cum ad vitam Sapphonis enarrandam pervenerimus.

Terpandrum carminibus, tum suis, tum Homericis certam et constantem melodiam primum applicuisse eaque in certaminibus publicis cecinisse a Plutarcho memoriae proditum est, (de musica c. III.) *καὶ γὰρ τὸν Τέρπανδρον, ἔφη (ὁ Ἡρακλείδης ἐν τῇ συναγωγῇ τῶν ἐν μουσικῇ) κιθαρῳδικῶν ποιητὴν ὄντα νόμων, κατὰ νόμον ἕκαστον τοῖς ἔπεσι τοῖς ἑαυτοῦ καὶ τοῖς Ὁμήρου μέλη περιθέντα, ᾄδειν ἐν τοῖς ἀγῶσιν*. Carminum Terpandri plurima, quibus Homerum aemulatus esse dicitur, hexametris heroicis conscripta erant. Praeter nomos citharoedicos, de quibus infra exponemus, referenda huc

50) Ap. Athen. l. XIV. p. 636. B.
51) Ap. Athen. XIV. p. 625. B. et 635. C.
52) Athen. XIV. p. 636. A. et 636. B.

prooemia Terpandri, quae canere solebat, antequam ad Homeri aliorumque carmina maiora decantanda progrederetur. Rem ex Plutarcho discimus, qui in libro de mus. c. VII. haec habet: τὰ πρὸς τοὺς θεοὺς, ὡς βούλονται, ἀφοσιωσάμενοι, ἐξέβαινον εὐθὺς ἐπί τε τὴν Ὁμήρου καὶ τῶν ἄλλων ποίησιν. δῆλον δὲ τοῦτ᾽ ἐστὶ διὰ τῶν Τερπάνδρου προοιμίων. E talibus Terpandri veterumque rhapsodorum prooemiis nostram hymnorum Homericorum farraginem conflatam esse olim suspicatus est F. A. Wolfius.[52]) Fortasse duo versus heroici, quos ex Euclide supra attuli e prooemiorum Terpandreorum uno deprompti sunt. Plutarchi narrationi priore loco positae adiungenda verba Clementis Alexandrini Stromat. lib. I, p. 309. μέλος τε αὖ πρῶτος περιέθηκε τοῖς ποιήμασι καὶ τοὺς Λακεδαιμονίους νόμους ἐμελοποίησε Τέρπανδρος ὁ Ἀντισσαῖος, a multis perperam accepta. Gentianus Hervitus locum ita vertit: *modos autem poematibus primus adiecit et Lacedaemoniorum leges numerosis versibus scripsit Terpander Antissaeus.* In eundem modum verba explicuit Perizonius, de legibus Lycurgi et de cantilenis in metrum a Terpandro redactis cogitans, ut ex nota illius ad Aelian. XII. 50. apparet. Alii per Λακεδαιμονίους νόμους non civiles Lacedaemoniorum leges indicari, sed cantilenas sacras tunc Spartae usitatas, ac Terpandrum musicae sacrae in nomis illis adhibitae apud Lacedaemonios auctorem fuisse, hoc Clementis loco intelligi, arbitrati sunt. Ita statuit Burmannus Seldeni sententiam secutus, qui ad Marmor Parium p. 129. edit. Maittair. ita scribit: ἐμελοποίησεν *Clementi non est numerosis versibus scribere, sed modulis, seu notis musicis temperare aut pthongos aptare, id est* ταῖς ᾠδαῖς *etiam* μέλη περιτιθέναι: *adeo, ut id, quod hic dixit, non aliud fuerit, quam Terpan-*

---

52) Ad Hesiod. Theogon. p. 60. Cf. Prolegg. ad Homer. p. CVI. sq.

drum tum poematibus primum modos applicuisse, seu carmina fecisse melica, tum musicae sacrae, cuius in nomis seu cantilenis sacris tunc usus erat Lacedaemone, auctorem fuisse. Omnes hi a vero verborum sensu aberrarunt. Nihil aliud per *Λακεδαιμονίους νόμους* designatur, quam civiles Lacedaemoniorum leges, versibus heroicis conscriptas, quas pariter ac sua Homerique carmina numeris musicis adstrinxisse putandus est Terpander. Sensit hoc etiam Meibomius, male a Burmanno reprehensus, qui ad Aristox. Harmon. Elem. p. 76. verba *τοὺς Λακεδαιμονίους νόμους ἐμελοποίησε* ita vertit: *Lacedaemoniorum leges cantandas exhibuit.* Modus, quo in his carminibus usus est Terpander, non alius esse potest, quam Dorius. Nonnulli modum Mixolydium a Terpandro inventum praedicabant, quorum opinionem ob notarum systema primitivum ortam esse iudicat Boeckhius. Vide lib. III. de metr. Pindari p. 235 et 248.

Iam ad nomos citharoedicos Terpandri, quibus ille maximam sibi comparavit gloriam, accedamus. Quamobrem sacrae illae cantilenae *legum* (*νόμων*) nomine appellatae sint exponit Plutarchus (de mus. c. VI. T. XIV. p. 215. edit. Hutten.) *οὐκ ἐξῆν τὸ παλαιὸν οὕτω ποιεῖσθαι τὰς κιθαρῳδίας ὡς νῦν, οὐδὲ μεταφέρειν τὰς ἁρμονίας καὶ τοὺς ῥυθμούς· ἐν γὰρ τοῖς νόμοις ἑκάστῳ διετήρουν τὴν οἰκείαν τάσιν· διὸ καὶ ταύτην ἐπωνυμίαν εἶχον· νόμοι γὰρ προσηγορεύθησαν, ἐπείδη οὐκ ἐξῆν παραβῆναι καθ' ἕκαστον νενομισμένον εἶδος τῆς τάσεως.* In eundem fere modum rem explanat Suidas, qui *Νόμος*, inquit, *ὁ κιθαρῳδικὸς τρόπος τῆς μελῳδίας, ἁρμονίαν ἔχον τακτὴν καὶ ῥυθμὸν ὡρισμένον.* Aliam nominis explicandi rationem, ei, quam modo attulimus haud dubie posthabendam, iniit Problematum auctor, qui vulgo Aristoteles esse dicitur, sect. XIX. *Διὰ τί νόμοι καλοῦνται, οὓς ᾄδουσιν; ἢ ὅτι πρὶν ἐπίστασθαι γράμματα, ᾖδον τοὺς νόμους, ὅπερ ἐν Ἀγαθύρσαις ἔτι εἰώθασιν; καὶ τῶν ὑστέρων οὖν ᾠδῶν τὰς πρώτας τὸ αὐτὸ ἐκάλεσαν, ὥςπερ*

τὰς πρώτας. Hunc locum respexit Suidas in *Νόμοι κιθαρῳδικοὶ*, ubi ita loquitur: *Apollo, ut aiunt adhibita cithara, leges hominibus secundum quas viverent constituit, feros illorum animos melodia deliniens rhythmique dulcedine efficiens, ut praecepta ab ipso data libenter admitterent. Leges illae citharoedicae appellabantur. Inde, ut Aristoteli videtur, modi musici, secundum quos canimus, sublimi legum nomine nuncupantur.*

In certamine Pythico Chrysothemin Cretensem hymnum h. e. nomum in Apollinem cecinisse victoremque evasisse tradit Pausanias X, 7, 2. cum eoque Photius ex Proclo p. 523. *Ὁ μέντοι νόμος γράφεται μὲν εἰς Ἀπόλλωνα, ἔχει δὲ τὴν ἐπωνυμίαν ἀπ᾽ αὐτοῦ· νόμιμος γὰρ ὁ Ἀπόλλων ἐπεκλήθη. ὅτι τῶν ἀρχαίων χόρους ἱστάντων, καὶ πρὸς αὐλὸν ἢ λύραν ᾀδόντων τὸν νόμον, Χρυσόθεμις ὁ Κρὴς πρῶτος στολῇ χρησάμενος ἐκπρεπεῖ καὶ κιθάραν ἀναλαβὼν, εἰς μίμησιν τοῦ Ἀπόλλωνος μόνος ᾖσε νόμον. εὐδοκιμήσαντος δὲ αὐτοῦ διαμένει ὁ τρόπος τοῦ ἀγωνίσματος.* Post Chrysothemin Philammonem huius generis carminibus inclaruisse perhibent. Plutarchus de mus. c. V. *τινὰς δὲ τῶν νόμων τῶν ὑπὸ Τερπάνδρου πεποιημένων, Φιλάμμωνά φασι τὸν ἀρχαῖον, τὸν Δελφὸν, συστήσασθαι.* Suidas: (*Τέρπανδρος*) *νόμους λυρικοὺς πρῶτος ἔγραψεν, εἰ καί τινες Φιλάμμωνα θέλουσι γεγραφέναι.* Sed haec, praesertim quae de Chrysothemide narrantur, fabulis nihilo potiora dico. Certas exploratasque veterum narrationes si consideremus, sic statuere debemus, Terpandrum nomis citharoedicis ab ipso compositis certam et constantem melodiam primum applicuisse.

Praeter nomos citharoedicos auloedicos, ad tibiam canendos, a musicis Graecis compositos esse constat. Terpandrum tamen priori tantum nomorum generi operam navasse, ex veterum scriptis demonstrari potest. Plutarchus nempe, postquam in capite tertio libri de musica Clonae et Polymnesti Colophonii mentionem

iniecit, capite sequente ita pergit: *Οἱ δὲ νόμοι οἱ κατὰ τούτους, ἀγαθὲ Ὀνησίκρατες, αὐλῳδικοὶ ἦσαν, Ἀπόθετος Ἔλεγοι, Κωμάρχιος — καὶ Τριμελής· ὑστέρῳ δὲ χρόνῳ καὶ τὰ Πολυμνάστια καλούμενα ἐξευρέθη· οἱ δὲ τῆς κιθαρῳδίας νόμοι πρότερον πολλῷ χρόνῳ κατεστάθησαν ἐπὶ Τερπάνδρου; κεῖνος γοῦν τοὺς κιθαρῳδικοὺς πρότερον ὠνόμασε* etc. Pollux vero IV, 9, 4. de nomis Terpandreis sermone facto, *σφάλλονται δὲ*, inquit, *οἱ καὶ Ἀπόθετον προςτιθέντες αὐτῷ καὶ Σχοινίωνα. οὗτοι γὰρ αὐλητικοί.* Inter recentiores demum falsa orta est opinio, etiam auloedicorum nomorum auctorem exstitisse Terpandrum. Perversae huic sententiae ansam praebuit Chronici Parii ep. XXXV. quem ad locum supra ex parte pertractatum nunc nobis redeundum est. Verba, de quibus dicturi sumus, in prima Marmorum Arundellianorum editione, a Iohanne Seldeno curata, ita scripta sunt: *ΑΦΟΥΤΕΡΠΑΝΔΡΟΣΟΛΕΡΔΕΝΕΟΣ ΟΛΕΣΒΙΟΣΤΟΥΣΝΟΜΟΥΣΤΟΥ . . . . Α . . . ΩΝ . . . Δ . . ΟΥΣΘΑΙΑΥΛΗΤ . . . . . ΛΗΣΕ.* Ipse Seldenus nullum loci restituendi periculum fecit. Palmerius vero, pro *ΟΥΣΘΑΙ ΑΥΛΗΤ*, *ΟΥΣ ΚΑΙ ΑΥΛΗΤ* reponens confidenter ita supplevit lacunas: *ΤΟΥΣΝΟΜΟΥΣΤΟΥΣΛΥΡΑΣΚΑΙΑΥΛΩΝΕΔΙΔΑΞΕΝΟΥΣ ΚΑΙΑΥΛΗΤΑΙΣΣΥΝΗΥΛΗΣΕ*, hisce verbis adiectis: *Posui* λύρας, *eo quod Suidas de eo Terpandro dixit, eum primum* νόμους λυρικοὺς *scripsisse. De hoc Terpandro operae pretium est videre Pollucem et eum castigare, eo quod putat eos errare, qui* νόμους αὐλητικοὺς *ei tribuunt; at eos non errare, asserit hoc loco marmor.* Equidem non satis mirari possum temeritatem viri, qui coniectura plane temeraria disertas certasque veterum narrationes refellere tentavit. Nec defuerunt tamen, qui sententiam a Palmerio propositam probarent ac sequerentur. Burettus (in Mem. Acad. Inscr. Tom. X, p. 215.) coniecturam in Chronicon Parium a Palmerio illatam certissimam esse sibi persuasum habens, eo loco ad Pollucem, qui nomos au-

loedicos Terpandro tribuendos esse negat, refutandum uti non dubitat. Vir doctus cuius supra memini in Obss. Miscell. Vol. II, Tom. III, p. 350. recte scripta esse arbitratur *ΑΤΡΑΣ* et *ΑΤΛΩΝ*; de *ΕΔΙΔΑΞΕΝ* autem se dubitari ait, quoniam *νόμοι* Terpandro antiquiores memorentur in Chronico Pario et varie a Plutarcho in libro de musica. Legi mavult *ΗΛΛΑΞΕ* aut *ΜΕΤΗΛΛΑΞΕ*. De innovatione enim a Terpandro in antiqua musica facta non incommode dici posse credit *μεταστῆσαι τὴν ἔμπροσθε μουσικὴν*, *aliquo modo omnino mutare musicam*. *Μετέστησε τὴν μουσικὴν* maiorem et ampliorem mutationem involvere, quam *νόμους ἤλλαξε*. Anonymus quidam in eodem Observationum Miscellanearum loco, lacunas in Chronico Pario alia ratione supplere tentavit. Scribendum nempe censet *ΤΟΥΣ ΝΟΜΟΥΣ ΤΩΝ ΛΑΚΕΔΑΙΜΟΝΙΩΝ ΔΙΟΡΘΟΥΣΘΑΙ ΑΥΛΗΤΑΣ ΗΣΚΗΣΕ*, ut sensus sit: *Nomos Lacedaemonios corrigere auletas docuit.* Terpandrum nomos musicos inprimis Lacedaemonios correxisse, patere dicit ex illis, quae a Chronici Parii interpretibus allata sint. Ipse ad sententiam suam confirmandam citat verba Clementis Alexandrini haecce: *τοὺς Λακεδαιμονίους νόμους ἐμελοποίησε Τέρπανδρος ὁ Ἀντισσαῖος*, eoque se sensum huius loci minime assecutum esse aperte indicat. Rationem ab ea, quam modo attulimus, non valde diversam iniit Chandlerus qui reposuit: *ΤΟΥΣ ΝΟΜΟΥΣ ΤΟΥΣ ΠΑΛΑΙΩΝ ΚΑΙΝΟΥΣΘΑΙ ΑΥΛΗΤΑΣ ΕΘΕΛΗΣΕ*, *nomos antiquos novare auletas voluit.* Nullam emendationum quas recensuimus, probandam esse, quivis videt. Omnes enim sententiam continent, quae Plutarchi et Pollucis narrationibus supra a nobis positis prorsus repugnet. Lacunae in Marmore omnino sic supplendae sunt, ut nomi auloedici, quae ad Terpandrum nihil pertinent, ab eo loco plane excludantur. Boeckhius cuius sententiam percontatus sum, *ΕΔΙΔΑΞΕΝ*, *ΟΥΣ*

ΚΑΙ

ΚΑΙ et *ΣΥΝΗΥΛΗΣΕ* quae Palmerius invenit servans, totum locum ita scribit: *ΤΕΡΠΑΝΔΡΟΣ — — ΤΟΥΣ ΝΟΜΟΥΣ ΤΟΥΣ ΤΩΝ ΚΙΘΑΡΩΙΔΩΝ ΕΔΙΔΑΞΕΝ ΟΥΣ ΚΑΙ ΑΥΛΗΤΗΣ ΣΥΝΗΥΛΗΣΕ.* Hoc voluisse videtur Chronici auctor: *Terpander ad chordarum sonum cecinit nomos citharoedicos, quos comitabatur tibia.* Saepenumero enim citharis tibias, quae *αὐλοὶ κιθαριστήριοι* appellabantur, adiunctas esse ex Polluce[54]) cognosci potest. Quamquam igitur citharae accommodati erant nomi Terpandri, nihil tamen impediebat musicum, quominus interdum illi accinere iuberet tibiam. Veterem scriptorem qui id diserte tradat haud novi; cum vero *νόμοι κιθαριστήριοι*, quos comitabatur tibia, afferantur a Polluce[55]) non est cur dubitemus de illa re.

Nomos citharoedicos Terpandri hexametris heroicis scriptos esse asserit Plutarchus in libro de musica c. IV. *Ὅτι δὲ οἱ κιθαρῳδικοὶ νόμοι οἱ πάλαι ἐξ ἐπῶν συνίσταντο Τιμόθεος ἐδήλωσε· τοὺς γοῦν πρώτους νόμους ἐν ἔπεσι διαμιγνύων, διθυραμβικὴν λέξιν ᾖδεν, ὅπως μὴ εὐθὺς φανῇ παρανομῶν εἰς τὴν ἀρχαίαν μουσικήν,* quibus conveniunt ea, quae ex Proclo in bibliotheca p. 523. affert Photius: *δοκεῖ δὲ Τέρπανδρος μὲν τελειῶσαι τὸν νόμον, ἡρῴῳ μέτρῳ χρησάμενος.* Terpandrum nomis citharoedicis nomina primum indidisse apud Plutarchum et Pollucem legimus.[56]) Nomina illa tum a certis gentibus et singulis personis, tum ab ipsorum carminum modis et rhythmis repetita sunt. Afferuntur *νόμος Αἰόλιος, Βοιώτιος, Ὄρθιος,*[57]) *Τροχαῖος, Ὀξύς, Τε-*

[54]) Lib. X, 83. Cf. Boeckh. de metr. Pindar. III. p. 258 sq.

[55]) Lib. X, 81.

[56]) Plutarch. de mus. cap. IV. Pollux IV, 9, 4. Cf. Suid. s. v. *Νόμος*.

[57]) Hesychius: *Ὄρθιον νόμον· οὕτως ὠνομάσθαι φασὶν αὐτὸν ἀπὸ τοῦ ῥυθμοῦ, καθάπερ καὶ τὸν τροχαῖον.* Suidas: *Ὄρθιον νόμον καὶ τροχαῖον. τοὺς δύο νόμους ἀπὸ τῶν ῥυθμῶν ὠνόμασε Τέρπανδρος· ἀνατεταμένοι δ' ἦσαν καὶ εὔτονοι.*

τραιίδιος, *Καπίων* seu *Κηπίων*. Exordium prooemii nomo Orthio a Terpandro praepositi fuisse narratur hoc:

Ἀμφί μοι αὐτὸν ἄναχθ' ἑκατηβόλον ἀδέτω φρήν,[58])

quo factum esse perhibent, ut *ἀμφιανακτίζειν* dicerentur ii, qui istum Terpandri nomum canerent. Postea poetas dithyrambicos, qui hymnos semper fere verbis *ἀμφί μοι αὖτε Φοῖβε ἄναξ Δήλιε* auspicabantur, *ἀμφιάνακτας* per lusum appellatos esse ab Aristophanis scholiasta memoriae proditum est. *Τροχαῖος* sine dubio a rhythmis trochaeicis nomen traxit. Hoc parum convenit iis, quae ex Photio et Plutarcho modo attulimus, qui ex hexametris heroicis Terpandri nomos constitisse testantur. Difficultas haec ut expediatur, aut sic existimandum, non constanter hexametris usum esse Terpandrum, aut, quod mihi quidem magis arridet, ita statuendum, non omnes nomos, qui Terpandro tribuuntur, a musico illo profectos esse. *Tetraoedius* Boeckhio similiter instructus fuisse videtur atque *τριμελής*, nomus auloedicus Sacadae, cuius stropham primam Doriam, alteram Phrygiam, tertiam Lydiam fuisse arbitratur.[59]) Eadem fere Buretti sententia est. Nomus *Κηπίων* a Cepione Terpandri discipulo, de quo postea dicemus, nomen accepit.

Terpandri nomus certis partibus divisus erat, quae teste Polluce[60]) vocabantur *ἔπαρχα, ἐπαρχεῖα, μέταρχα, κατάτροπα, μετακατάτροπα, ὀμφαλός, σφραγίς, ἐπίλογος*. Pro *ἔπαρχα* legi vult Iungermannus *ἑπτὰ* aut *ἔπταχα*, probante Buretto. Boeckhio *ἔπαρχα* genuina videtur lectio, ut *μέταρχα*, atque *ἐπαρχεῖα* ex varia lectione additum.[61]) Quaestionibus de uniuscuiusque nominum

[58]) Num, ut versus ille plenus hexameter dactylicus sit, legendum:

Ἀμφί μοι αὐτὸν ἄναχθ' ἑκατηβόλον ἀδέτω ἁ φρήν?

[59]) De metris Pindari lib. III. p. 251.

[60]) Onomast. I. 1.

[61]) De metr. Pind. lib. III, p. 182.

illorum significatione frustra operam tribuisse mihi videntur viri docti, cum haud sperandum esse arbitrer, ut unquam exsequamur veram divisionis illius rationem. Prideauxii quidem sententia de nomorum Terpandri distributione perabsurda est. Putat nempe hic, antiquissimam dramatis partitionem secutum esse Terpandrum, ita, ut ἔπαρχα sive ἐπαρχεῖα, breve aliquod praeludii genus, praecesserit prologum, μέταρχα vero epitasin proxime antecesserit, κατάτροπα catastasin, μετακατάτροπα catastrophen, ὀμφαλός epilogum; totam denique fabulam clauserit et quasi obsignaverit σφραγίς, cuius pars ultima ἐπίλογος fuerit.[62]) Burettus[63]) cum carminibus lyricis nomos Terpandri comparans ἐπαρχεῖα pro certo prolusionis genere habet, quo deum nomo celebratum invocaverit poeta. Μέταρχα illi est prima ipsius cantici pars. Per κατάτροπα eam nomi partem designari arbitratur, quam ad statuam dei accedentes cecinerint cantatores, per μετακατάτροπα vero illam, quam ab eo loco regrediens decantaverit chorus. Ὀμφαλὸς Buretto est ultima totius carminis pars. Haud incommode illi κατάτροπα, μετακατάτροπα et ὀμφαλός in nomis Terpandri cum strophis, antistrophis atque epodis in tragicorum carminibus comparari videntur. Σφραγίς Buretti sententia extremas preces ac vota continebat canticumque clausit. Ἐπιλόγῳ denique poetam auditores ad virtutem et pietatem erga deos cohortatum esse sibi persuasum habet Burettus. Vereor ut ratio quam proposuit vir doctus multis probetur. Maxime in eo falsus est, quod chorum nomos Terpandri cecinisse putavit, cum potius ita statuendum sit, ab uno homine ad citharam eos decantatos esse. Aliorum[64]) sententiae silentio mihi praetereundae viden-

---

[62]) Prideaux. ad Marmor. Par. lin. XX.

[63]) Mem. Acad. Inscr. X. p. 220 sq.

[64]) Vide sis Marpurg: *Kritische Einleitung in die Ge-*

tur, quia nihil faciunt ad rem explanandam, quae ut ad liquidum perducatur nunquam fore confido. Hoc tamen certum est, eas nomorum Terpandreorum partes rhythmo et melodia valde inter se discrepasse, neque, ut perperam opinatus est Forkelius, ad poesis argumentum magis, quam ad musicam rationem spectasse.

Scolia invenisse dicitur Terpander a Pindaro in Plutarchi libro de musica p. 432. *εἰ δὲ, καθάπερ Πίνδαρός φησι, καὶ τῶν σκολιῶν μελῶν Τέρπανδρος εὑρετὴς ἦν.* Putant tamen viri docti, Terpandrum ea de caussa carminum illorum convivalium inventorum appellari, quod iis pariter atque heroicis carminibus certam melodiam primus applicuerit.[65]) Ceterum musicum Lesbium in poesi non solis hexametris usum esse, ex fragmento apparet, quod Stromat. l. VI. p. 658. servavit Clemens Alexandrinus, *Ζεῦ, πάντων ἀρχὰ, πάντων ἡγῆτορ, Ζεῦ Σοὶ πέμπω ταύταν ὕμνων ἀρχάν.* Carminis elegiaci inventorem perhibuerunt Terpandrum recentiorum nonnulli. Fabricius Bib. Gr. T. I. p. 294. Harless. *Elegorum inventorem Terpandrum, nescio quibus auctoribus tradunt Gyraldus et in institutionibus poeticis Vossius. Plutarchus de musica* p. 1132. (Vol. X, 653.) *inter αὐλῳδικοὺς νόμους refert elegos, sed genus carminis elegiacum a Terpandro inventum non ait.* Gyraldi et Vossii opinio orta esse videtur ex his Plutarchi verbis (de musica. c. III.) *ὁμοίως δὲ Τερπάνδρῳ Κλονᾶν, τὸν πρῶτον συστησάμενον τοὺς αὐλῳδικοὺς νόμους καὶ τὰ προςόδια, ἐλεγείων τε καὶ ἐπῶν ποιητὴν γεγονέναι.* Quamvis nomos citharoedicos ex hexametris, auloedicos vero e distichis elegiacis constitisse affirment veteres, fieri tamen potuit, ut metro elegiaco in carmini-

---

schichte und Lehrsätze der alten und neuen Musik p. 19 sq. p. 65 sqq.

65) Ilgen disquitio de scoliorum poesi p. LXXVII sqq.

bus suis uteretur Terpander; elegos eum haud invenisse, constat hodie inter eruditos.[66])

Terpandrum exceperunt alii musici, qui artem ab eo cultam longius prosecuti sunt. De plurimis tamen eorum perpauca in veterum scriptis memoriae prodita reperimus. Antiquissimus illorum Cepion est, a Terpandro amatus arteque musica institutus. Ab eo unum ex nomis Terpandri nomen traxisse supra monuimus. Cepionem ipsum quoque eiusmodi canticorum auctorem exstitisse evinci potest ex Clement. Alex. Protrept. p. 2. D. *Ἄιδει δὲ καὶ Εὔνομος ὁ ἐμὸς οὐ τὸν Τερπάνδρου νόμον, οὐδὲ τὸν Καπίτωνος*, in quo loco omnino *Καπίωνος* vel *Κηπίωνος* scribendum esse viderunt Meziriac et interpp. Hesychii ad verba: *Καπίων κιθαρῳδικοῦ νόμου ὄνομα.* Cepion ille citharam novae et singularis formae excogitavit, quae cum Lesbiis insulam haud procul ab Asia sitam inhabitantibus praecipue in usu esset *Ἀσιάς* appellata est.[67]) Plutarcho (de mus. c. VI.) narrante citharoedorum Lesbiorum, qui e Terpandri schola prodierunt, ultimus Periclitus fuit, Hipponacte iambographo, quem inter Olympiadem quinquagesimam quintam et sexagesimam quintam floruisse constat antiquior inque Carneorum certamine victor. Scholae Terpandri etiam Arionem Methymnaeum, ad quem nunc pervenio, adscribendum esse non dubito. Aetas illius a Suida ad tricesimam octavam Olympiadem refertur, quod bene eorum convenit narrationi, qui Periandri tempore Arionem floruisse tradunt. Periandrum enim Olympiade tricesima octava Corinthi imperium assecutum esse in Chronico Eusebiano memoriae proditum est. Pater Arionis ficto nomine *Cycleus* appellatur, quod nomen a choris orbicularibus (*χοροῖς κυκλίοις*) quos primus instituisse dicitur

---

[66]) Vide Conradi Schneideri dissert. de carmine elegiaco Graecorum in: *Studien von Daub und Creuzer.* Tom. IV.

[67]) Plutarch de musica cap. VI.

Arion originem traxit. Corinthi in aula Periandri magnam vitae partem transegisse Arionem, mox in Italiam et Siciliam iter fecisse magnasque ibi accumulasse opes, apud Herodotum legimus. Corinthiorum Lesbiorumque narratio de Arione delphini dorso per mare transvecto ab innumeris fere scriptoribus, tum antiquis, tum recentioribus[68]) prolata est, ita, ut nos eam repetere facile supersedere possimus. Originem fabulae illius ratione parum probabili a Larchero explicatae invenit clarissimi Mülleri ingenium.[69]) A Taenaro nempe promontorio, quo Arionem detulisse dicitur delphinus, Lacedaemoniorum colonia, quam Tarentum deduxit Phalanthus, profecta est Neptunique Taenarii cultum in Italiam traduxit. Inde nata mythographorum fabula de Tarante Neptuni filio, qui delphino Italiam vectus esse fertur dorsoque piscis talis insidens in Tarentinorum numis conspicitur. Hanc de heroë illo narrationem in Arionem transtulerunt fabulatores, quem eodem modo quo Taras Taenaro Tarentum transmissus esse traditur, Tarento Taenarum transvectum esse dicunt. Fabula quo facilius oriretur, delphinos musices amantissimos effecisse statuit Müllerus. Carmen, quod Arionem in Neptuni honorem cecinisse ait Aelianus, poetae ipsi tribuendum esse, qui credat nullus erit. Neque donarium illud ae-

---

[68]) Herodot. I, 24. Aelian. Hist. animal. XII, 45. Oppian. Halieut. V, 450. Dio Chrysost. Vol. II. p. 102. edit. Reisk. Tzetzes Chiliad. I, 393. Gell. Noct. Att. XVI, 19. Plin. Hist. Nat. IX, 8. Hygin. Fab. 194. Narrationes de aliis hominibus eodem modo servatis legas apud Plutarchum de solert. animal. c. 36. conviv. sept. sapient. c. 20. Athen. XIII, p. 606. E. Aelian. Hist. animal. VIII, 3. De singulari delphinorum erga homines amore vide Aristot. Hist. anim. IX, 48. Tom. I. p. 954. Aelian. hist. animal. lib. II, c. 6 et 8. lib. VI, c. 15. lib. VIII, 3. Paus. III, 25, 5. Athen. XIII, p. 606. D. Plin. hist. nat. IX, c. 8 et 9. p. 502 sq. edit. Harduin.

[69]) Hist. gent. Dor. II. p. 369.

neum, homo delphino insidens, ab ipso Arione dedicatum esse potest. Meminit illius Herodotus: Ἀρίονός ἐστι ἀνάθημα χάλκεον οὐ μέγα ἐπὶ Ταινάρῳ, ἐπὶ δελφῖνος ἐπεὼν ἄνθρωπος, quem locum expressit Dio Chrysost. Vol. II. p. 102. edit. Reisk. Ἀρίων δέ· οὐ γὰρ Περίανδρος, ἀλλ' Ἀρίων· ποιησάμενος μίμημα χαλκοῦ οὐ μέγα ἀνέθηκεν ἐπὶ Ταινάρου καὶ αὐτὸν ἐπὶ τοῦ εὐεργέτου καθήμενον. Vidit Pausanias illud Arionis signum, cui teste Aeliano hi versus inscripti erant:

> Ἀθανάτων πομπαῖσιν Ἀρίονα Κυκλέος υἱὸν
> Ἐκ Σικελοῦ πελάγους σῶσεν ὄχημα τόδε.

Arionem, qui narrante Herodoto citharoedus erat nulli suae aetatis secundus, poesi multo maiorem quam Terpandrum dedisse operam ex veterum scriptis apparet. Nomum ab eo haud parum excultum atque perpolitum esse apud Photium tradit Proclus. Orthii ab Arione ex navi Corinthiaca in mare desulturo decantati meminit Herodotus. Prooemia Arioni assignat Suidas, qui etiam carmina lyrica (ᾄσματα) ab eo poeta scripta esse refert. Si vera produnt illi, qui Alcmanis disciplina Arionem usum perhibent, talibus praesertim carminibus componendis a poeta Sardiano Methymnaeum institutum esse putes.

Arionis de poesi merita considerantibus nobis omnino respiciendus locus Herodoti, in quo poetam illum Corinthi dithyrambum omnium hominum primum et invenisse et nominasse et docuisse testatur. Dithyrambi originem a Corintho repetit etiam Pindarus in carminum Olympiorum decimo tertio, ubi laudes civitatis illius peragens inter alia quaerit:

> ταὶ Διονύσου πόθεν ἐξέφανεν
> σὺν βοηλάτῳ Χάριτες διθυράμβῳ;

Vetus scholiastes ad h. l., refert, Pindarum dithyrambi inventionem in hyporchematum uno Naxiis, in dithyramborum autem primo Thebanis attribuisse. Non

est, ut in diversis hisce poetae narrationibus magnopere haereamus. Persuasum mihi habeo, neque Corinthi, neque Thebis, neque in Naxo inventos esse dithyrambos, inde ab antiquissimo tempore per totam Graeciam in Bacchi honorem decantatos. Ad Herodoti locum quod attinet, non satis accurate locutus est scriptor, solemnium illorum cantuum repertorem perhibens Arionem, qui dithyrambum non invenisse sed praecipue excoluisse putandus est. Diligentius quam Herodotus rem exposuit Pindari scholiastes, cuius verba haec sunt: *τὸ σπουδαιότατον τῶν Διονύσου διθυράμβων ἐν Κορίνθῳ πρῶτον ἐφάνη· ἐκεῖ γὰρ ὠράθη ὁ χόρος ὀρχούμενος. ἔστησε δὲ αὐτὸν Ἀρίων ὁ Μηθυμναῖος.* Disseruit de Arione et de dithyrambo clarissimus Iacob in eleganti Quaestionum Sophoclearum libro. Is, eamdem quam ego de loco Herodoteo sententiam proferens, Arionem ab multas gravesque mutationes ab ipso in dithyrambo factas primum illius inventorem perhibitum esse existimat. Affert ad opinionem suam confirmandam Suidae de Arione verba, qui *λέγεται*, inquit, *πρῶτος χόρον στῆσαι καὶ διθύραμβον ᾆσαι καὶ ὀνομάσαι τὸ ᾀδόμενον ὑπὸ τοῦ χόρου.* Hoc loco fretus ita statuit Iacob, Arionem non vere invenisse dithyrambum, sed veterem illius saltandi formam immutasse. Quod doctissimi viri sententia mihi quidem perquam probabili visa sic effecit Arion, ut dithyrambos ante ipsius aetatem in ipsa pompa et a procedentibus ad templa cantos ad eam formam revocaret, quae accepta et probata posthac ab omnibus, dithyrambicorum chororum ipso nomine exprimeretur. Idem significare videntur Hellanicus, Scholiastes Pindari aliique, Arionem *χοροὺς κυκλίους* primum instituisse perhibentes. Dithyrambo nova hac lege conformato, a satyrorum et Baccharum aliorumque bacchantium turba segregatum esse chorum dicit Iacob idque ipsum indicare censet Suidam verbis: *λέγεται ὀνομάσαι τὸ ᾀδόμενον ὑπὸ τοῦ χόρου.*

Tragicum modum (certum melopoeiae genus) Ario-

ni primo repertum tradit Suidas. Iacob de carminibus quibus modus ille adhibitus sit quaerens, quoniam neque nomos neque dithyrambos tragice facere potuerit Arion, aut in prooemiis, aut in carminibus lyricis, aut in lyricis tragoediis invento suo usum esse poetam arbitratur. Postremum mihi quidem maxime probabile videtur. Licet enim scriptorem qui tragoedias lyricas Arioni tribuat noverim nullum, tamen quin eiusmodi carmina condiderit poeta non dubito. Boeckhius, qui lyricas tragoedias a veteribus poetis compositas esse primus demonstravit ab ipso Arione Bacchicorum illorum cantuum originem repetit.[70]) Quamvis autem a solo choro decantarentur hae tragoediae, hypocrita nullo admisso, nihilominus Arionem quandam cum iis coniunxisse actionem, satyri, quos ille versibus loquentes induxisse fertur, ostendunt. Ceterum in carminibus suis dialecto Dorica usus est Arion, quem τὸ ω etiam in secundo casu servasse adnotavit Suidas.

Terpander atque Arion, de quibus hucusque sermo factus est, quamquam ut vidimus, in poesi haud exiguum studium collocabant, tamen quam assecuti sunt gloriam multo magis musicae ab ipsis excultae debuerunt. Iam nobis ad eos progrediendum, qui musica arte parum cedentes Arioni et Terpandro inter principes Graecorum poetas habendi sunt carminibusque praeclarissimis aeternam sibi ac patriae compararunt laudem. Quae quattuor nempe statui solent lyricae Graecorum poesis genera, Ionicum, Aeolicum, Doricum et Atticum, eorum illud quod secundo loco posui in Lesbo maxime ab Alcaeo Sapphoneque excultum est, de quibus nunc deinceps nobis dicendum.

Alcaeo Mytilene oriundo[71]) fratres fuerunt Ci-

[70]) De oeconom. public. Athen. T. II, p. 363.

[71]) Affero hoc loco nummum Mytilenaeum, quem tab. III. nr. 2. aeri incidi iussit Viscontus. Exhibetur adversa eius parte caput Alcaei cum inscriptione *ΑΛΚΑΙΟϹ ΜΥΤΙΛ.*, a-

cis[72]) et Antimenides[73]) quorum ope ad Melanchrum tyrannum interficiendum Ol. XLII usus est Pittacus.[74]) Antimenides Babyloniis in pugna opitulans magnam sibi comparavit gloriam, narrante Strabone, qui eum ab Alcaeo fratre carmine celebratum esse scribit. Neque Alcaeus ipse ab Horatio *ferox bello*[75]) et a Cicerone *vir fortis*[76]) immerito appellatur. Etenim in bello, quod Ol. XLIII. Athenienses inter et Mytilenaeos de Sigeo oppido gestum est, interfuit exercitui civium suorum fortissimeque contra hostes pugnavit. Et cum Mytilenaeis proelio superatis ipse quoque ad vitam servandam in fugam se coniecisset, Athenienses arma ab eo relicta tanquam insignem praedam in Minervae Glaucopidis templo, quod Sigei erat, suspenderunt eoque haud parvi a se Alcaei aestimari virtutem comprobarunt.[77]) Carmen de calamitate sua compositum Mytilenen ad Melanippum ex sodalibus unum misit Alcaeus.[78]) De casibus, quos postero tempore expertus est poeta, quamvis in civitatis Mytilenaeae historia enarranda exposuerimus, tamen hoc loco ad

versa autem nomen *ΦΙΤΤΑΚΟϹ* una cum Pittaci capite. Cf. tab. XI. nr. 3. Nummus hic narrante Visconto in Icon. Gr. Tom. I. p. 68. Fulvii Ursini olim fuit postque illius mortem Romam ad Gottifredum delatus est, e cuius manibus in Christinae reginae Suecicae possessionem pervenit. A Pio VI. emtus Suecia in Vaticanum indeque in Mus. Caes. transmigravit nummus. Non igitur est, ut suspectum illum habeamus, quod facere videtur Eckhelius, qui in Doctr. numm. P. I. Vol. 2. p. 504. Gottifredum unicum nummi nostri perhibet vadem.

72) Suidas s. v. *Κίκις*.

73) Strab. XIII, p. 617. C. Cas. p. 427. Tzsch.

74) Diog. Laert. Pitt. 74.

75) Od. I, 32, 6.

76) Quaest. Tusc. IV, c. 33.

77) Herodot. V, 95.

78) Herodot. l. l. Verba quaedam corruptissima carminis illius leguntur apud Strabonem lib. XIII. p. 620. C. Cas. p. 341. 342. edit. Tzsch.

res illas nos redire necesse est. In iis perquirendis id praecipue nobis spectandum, ut spretis grammaticorum scholiastarumque commentis, quibus plus iusto tribuerunt recentiores rerum Alcaei scriptores, Aristotelis Theophrasti et Strabonis vestigia accurate premamus. Acronis tamen et Porphyrionis narrationes, ut quanti illae aestimandae sint statim intelligat lector, hic apponere libet. Acron in Horat. Od. I, 32, 5. *Alcaeum dixit, qui fuit de Lesbo insula; hic enim res bellicas adversus tyrannos gessit et Pittacum tyrannum victum expulit.* Porphyrio ad h. l. *Lesbium civem Alcaeum dicit, hic autem etiam res bellicas adversus tyrannos gessit.* Acron in Horat. Od. II, 13, 27. *Alcaeus nomen poetae est lyrici, a quo metrum Alcaicum dictum est: qui res bellicas et navigationem suam scripsit, dum a Pittaco tyranno civitatis suae pulsus esset, eo quod Mytilenensibus amorem libertatis suaderet, quos postea collecto exercitu superavit.* Porphyrio ad h. l. *Plenius inquit sonantem, quia Alcaeus robustior est, id est bellicas res scripsit et navigationem suam, a tyrannis Mytilenensibus pulsus.* Acron et Porphyrio ad Horat. IV, 9. 3. *Minaces Alcaei Camoenae dictae sunt, quoniam adeo amarus fuit, ut austeritate carminis sui multos civitate eiecerit.* Haec ex antiquioribus scriptoribus negligentissime excerpta esse primo adspectu apparet. Alcaeum carminibus suis Myrsilum, Megalagyrum aliosque, qui circa Ol. XLIV. Mytilenaeorum tyrannidem occuparunt, vehementissime castigasse testatur Strabo. Quantum versibus suis profecerit poeta ignoro. Maximus Tyrius (Dissert. XXXVII. p. 439. edit. Davis.) *Οὕτω Βοιωτοὺς τοὺς ἀγροίκους,* inquit, *αὐλὸς ἐπιτηδευόμενος ἡμέρωσε καὶ ποιητὴς Πίνδαρος συνῳδὸς τῷ αὐλῷ· καὶ Σπαρτιάτας ἤγειρε τὰ Τυρταίου ἔπη, καὶ Ἀργείους τὰ Τελεσίλλης μέλη, καὶ Λεσβίους ἡ Ἀλκαίου ᾠδή.* In Myrsili tyranni mortem carmen ab Alcaeo conditum

esse, patet ex versibus hisce, quos lib. X, 8. servavit Athenaeus:

> Νῦν χρὴ μεθύσκειν καί τινα πρὸς βίαν
> πίνειν, ἐπειδὴ κάτθανε Μυρσίλος.

Ad res bellicas, quas Alcaeus contra tyrannos gessisse narratur ab Horatii scholiastis, spectant versus epigrammatis ab anonymo quodam poëta in novem illustres Graecorum lyricos compositi:

> καὶ ξίφος Ἀλκαίοιο, τὸ πολλάκις αἷμα τυράννων
> ἔσπεισε, πάτρης θέσμια ῥυόμενον.

Alcaeus, licet civitatis suae tyrannis infestissimum sese praeberet, tamen narrante Strabone ne ipse quidem rerum novandarum studii purus fuit, quam ob caussam eum cum fratre Antimenide in exsilium missum esse arbitror. Eo ipso tempore in Aegyptum pervenisse mihi videtur poeta, qua de re Strabo lib. I. p. 37. haec habet: 'τὸ δὲ πλείοσι στόμασι ἐκδιδόναι κοινὸν καὶ πλειόνων· ὥςτε οὐκ ἄξιον μνήμης ὑπέλαβε (ὁ Ὅμηρος) καὶ ταῦτα πρὸς εἰδότας· καθάπερ οὐδ' Ἀλκαῖος, καίτοι φήσας ἀφῖχθαι καὶ αὐτὸς εἰς Αἴγυπτον. Sed haud multo post Alcaeus a partium suarum hominibus adiutus reditum in patriam tentavit. Tum Mytilenaei Pittaco ultro tyrannidem detulerunt, qui Alcaeum, a quo pariter atque ceteri tyranni obiurgabatur, vivum cepit, mox tamen illaesum dimisit. Huc nempe referenda esse censeo quae narrant Diogenes Laertius lib. I. p. 47. 'Ηράκλειτός φησιν (τὸν Πιττακὸν) Ἀλκαῖον ὑποχείριον λαβόντα καὶ ἀπολύσαντα φάναι, Συγγνώμη τιμωρίας κρείσσων et Valerius Maximus IV, 1. 6. ext. *Pittaci quoque pectus moderatione instructum, qui Alcaeum poetam et amaritudine odii et viribus ingenii adversus se pertinacissime usum, tyrannidem a civibus delatam adeptus, tantummodo quid in opprimendo posset, admonuit.* De tempore, quo diem supremum obiit poeta, nihil constat. Argumenta, quibus Corsinus eum

Olympiade XLVII. adhuc in vivis fuisse, efficere studuit, non satis firma esse supra monuimus.

Carmina Alcaei, quorum decem certe olim exstiterunt libri,[79]) in universum modo ᾠδαί, modo ᾄσματα nuncupantur deque rebus diversissimis fuerunt composita. Affero primo loco hymnos, quorum plures commemorant antiqui scriptores. Argumentum hymni in Apollinem soluta oratione exponit Himerius.[80]) Ad idem carmen spectare dicunt illa Pausaniae (X, 8, 5.) *ἤκουσα δὲ καὶ ἄλλο τοιόνδε· τὸ ὕδωρ τῇ Κασταλίᾳ ποταμοῦ δῶρον εἶναι τοῦ Κηφισσοῦ. τοῦτο ἐποίησε καὶ Ἀλκαῖος ἐν προοιμίῳ τῷ ἐς Ἀπόλλωνα.* Hymni nescio an eiusdem meminit Plutarchus de musica c. XIV. *δῆλον ἐκ τῶν χορῶν καὶ τῶν θυσιῶν, ἃς προςῆγον μετ᾽ αὐλῶν τῷ θεῷ, καθάπερ ἄλλοι τε καὶ Ἀλκαῖος ἔν τινι τῶν ὕμνων ἱστορεῖ.* Carmina in Vulcanum et Mercurium laudat Menander de encomiis p. 48. Heeren, referens ea ad hymnos, quos genealogicorum nomine appellat. Ad oden Horatianam, cuius initium est, *Mercuri facunde nepos Atlantis*, monuit Porphyrio: *Hymnus est in Mercurium ab Alcaeo lyrico poeta.* Idem ad verba *Te boves olim nisi reddidisses* etc. v. 9. haec scripsit: *Fabula autem haec ab Alcaeo ficta*, quibuscum conveniunt verba Pausaniae (VII, 20. 2.) *Βουσὶ γὰρ χαίρειν μάλιστα Ἀπόλλωνα Ἀλκαῖός τε ἐδήλωσεν, ἐν ὕμνῳ τῷ ἐς Ἑρμῆν γράψας, ὡς ὁ Ἑρμῆς βοῦς ὑφέλοιτο τοῦ Ἀπόλλωνος.* Alcaei fragmentum apud Hephaest. p. 79. *Χαῖρε Κυλλάνας ὁ μέδεις· τὲ γάρ μοι* ex hymno illo in Mercurium desumptum esse, credit Blomfieldius, qui pariter atque Horatii interpretes totam Alcaei oden a poeta Venusino carmine laudato expressam esse suspicatur. Quod si verum est, hunc Alcaei hymnum ab eo, cuius l. l. meminit Menander, prorsus diversum statuere debemus. In hymnis enim genealogicis, inter quos

[79]) Athen. XI, 9.
[80]) Orat. XIV. 10.

rhetor ille carmen ab ipso citatum refert, deorum genus prout illud fabulis traditum invenimus laudando narramus, quod in argumentum odae Horatianae non quadrat. Ad reliqua Alcaei carmina quod attinet, alia adversus patriae tyrannos et de laboribus exsilio belloque exantlatis, alia de lusibus, de vino et amore a poeta Mytilenaeo confecta esse constat. Gravia illa carmina omnium praestantissima fuisse, uno ore tradunt veteres scriptores, quorum testimonia, cum nobis de Alcaei operibus iudicium ferre non liceat, hic opponam. Princeps locus est Quintiliani, qui Inst. orat. X, 1. *Alcaeus*, inquit, *in parte operis aureo plectro merito donatur, qua tyrannos insectatur: multum etiam moribus confert: in eloquendo quoque brevis et magnificus et diligens, et plurimum Homero similis, sed in lusus et amores descendit; maioribus tamen aptior.* Adiungam verba Dionysii Halicarnassei Vol. V, p. 421. Reisk. *Ἀλκαίου δὲ σκόπει τὸ μεγαλοφυὲς καὶ βραχὺ καὶ ἡδὺ μετὰ δεινότητος, ἔτι δὲ καὶ τοὺς σχηματισμοὺς μετὰ σαφηνείας, ὅσον αὐτῆς μὴ τῇ διαλέκτῳ τι κεκάκωται. καὶ πρὸ ἁπάντων τὸ τῶν πολιτικῶν πραγμάτων ἦθος. πολλαχοῦ γοῦν τὸ μέτρον τις εἰ περιέλοι ῥητορικὴν ἂν εὕροι πολιτείαν.* Horum scriptorum locos sequantur Horatii versus in Carm. II. 13. *Quam paene furvae regna Proserpinae Et iudicantem vidimus Aeacum: Sedesque discretas piorum: et Aeoliis fidibus querentem Sappho puellis de popularibus; Et te sonantem plenius aureo, Alcaee plectro dura navis, Dura fugae mala, dura belli*, nec non in carmine nono lib. IV. *Non si priores Maeonius tenet Sedes Homerus, Pindaricae latent, Ceaeque et Alcaei minaces Stesichorique graves Camoenae.* Inter eiusmodi carminum reliquias inprimis memorabile est fragmentum scolii adversus Pittacum scripti quod ab Aristotele servatum supra posui. Pittacum conviciis poesi parum dignis saepenumero laceratum esse ab Alcaeo intelligimus ex Diogene Laertio I, 81. *τοῦτον μὲν Ἀλκαῖος Σαράποδα*

μὲν καὶ Σάραπον ἀποκαλεῖ διὰ τὸ πλατύπουν εἶναι καὶ ἐπισύρειν τὼ πόδε· Χειροπόδην δέ, διὰ τὰς ἐν τοῖς ποσὶ ῥαγάδας, ἃς χειράδας ἐκάλουν· Γαύρηκα δέ, ὡς εἰκῆ γαυριῶντα· Φύσκωνα δὲ καὶ Γάστρωνα, ὅτι παχὺς ἦν· ἀλλὰ μὴν καὶ Ζοφοδορπίδαν, ὡς ἄλυχνον· Ἀγάσυρτον δέ, ὡς ἐπισεσυρμένον καὶ ῥυπαρόν. Carmina Alcaei amatoria laudat Horatius (Od. I, 32.) *Age dic Latinum, Barbite carmen, Lesboo primum modulate civi; Qui ferox bello, tamen inter arma, Sive iactatam religarat udo Litore navim, Liberum et Musas Veneremque et illi Semper haerentem puerum canebat Et Lycum nigris oculis nigroque Crine decorum*, cumque Horatio Cicero (Tusc. Qaest. IV, 33.) *Fortis vir in sua republica cognitus, quae de iuvenum amore scripsit Alcaeus.* E carminibus convivalibus maxima ex parte deprompta sunt fragmenta, quae leguntur in decimo libro Athenaei, poetam quavis tempestate et quocunque rerum statu bibentem deprehendi dicentis. Sed huius generis carminibus haud magnam Alcaeum sibi comparasse gloriam, praeter Quintilianum, cuius locum antea citavi, iudicat Iulianus imperator, maxime idoneus harum rerum arbiter, in Misopogonis initio: Ἀνακρέοντι τῷ ποιητῇ πολλὰ ἐποιήθη μέλη σεμνὰ καὶ χαρίεντα· τρυφᾷν γὰρ ἔλαχεν ἐκ Μοιρῶν· Ἀλκαίῳ δ᾽ οὐκέτι οὐδ᾽ Ἀρχιλόχῳ τῷ Παρίῳ τὴν Μοῦσαν ἔδωκεν ὁ θεὸς εἰς εὐφροσύνας καὶ ἡδονὰς τρέψαι· μοχθεῖν γὰρ ἄλλοτε ἄλλως ἀναγκαζόμενοι, τῇ μουσικῇ πρὸς τοῦτο ἐχρῶντο, κουφότερα ποιοῦντες αὐτοῖς ὅσα ὁ δαίμων ἐδίδου, τῇ εἰς τοὺς ἀδικοῦντας λοιδορίᾳ. Ceterum Harlesius ad Fabr. falso *Parthenia* tribuit Alcaeo, quae aliena erant ab Aeolum poesi. Neque in Plutarchi loco quem citat vir doctus quidquam eiusmodi reperies, sed de Simonide tantum nec non Bacchylide ac Pindaro loquitur scriptor. Γανυμήδης, Ἐνδυμίων et Πασιφάη, quae tanquam Alcaei nostri carmina e Polluce affert Fabricius, nomina sunt fabularum Alcaeo comico tribuendarum.

Ad vitam *Sapphonis* enarrandam accedentibus no-

bis ante omnia illa, quae de duabus mulieribus eo nomine appellatis apud veteres leguntur excutienda sunt quaerendumque num revera praeter poetriam altera Sappho vixerit, an non. Scriptorum antiquorum narrationibus expositis, recentiorum de hac re opiniones commemorabimus nostramque sententiam subiungemus.

Athenaeus lib. XIII, p. 596. E. Eresi meretricem celeberrimam Sapphonis nomine nuncupatam Phaonisque amore captam exstitisse tradit, auctore usus Nymphide ἐν περίπλῳ Ἀσίας. Ad hancce Nymphidis narrationem respicere videtur Aelianus, qui Var. Hist. X, 19. Πυνθάνομαι δέ, inquit, ὅτι καὶ ἑτέρα ἐν τῇ Λέσβῳ ἐγένετο Σαπφώ, ἑταίρα, οὐ ποιήτρια. Suidas primum poetriam, quam Ereso oriundam esse dicit, commemorat; deinde haec affert: Σαπφώ· Λεσβία ἐκ Μιτυλήνης, ψάλτρια: αὕτη δι' ἔρωτα Φάωνος τοῦ Μιτυληναίου ἐκ τοῦ Λευκάτου κατεπόντισεν ἑαυτήν· τινὲς δὲ καὶ ταύτης εἶναι λυρικὴν ἀνέγραψαν ποίησιν. Idem s. v. Φάων haec habet: τοῦ Φάωνος ἐρασθῆναί φασι σὺν πολλοῖς καὶ Σαπφώ, οὐ τὴν ποιήτριαν, ἀλλὰ Λεσβίαν καὶ ἀποτυγχάνουσαν ῥίψαι ἑαυτὴν ἀπὸ τῆς Λευκάδος πέτρας.

Hisce veterum locis, praesertim illis, quae apud Athenaeum et Aelianum leguntur, freti duas statuerunt Sapphones Vossius de poetis Gr. c. 3. et Seldenus in comment. ad Marm. Par. lin. 51. Eamdem sententiam ad Aelian. l. l. protulit Perizonius, qui eodem modo, quo plures exstiterint Sibyllae nec non plures mulieres Aspasiae nomen gerentes, duas Sapphones in Lesbo fuisse existimat, alteram Mytilene oriundam arteque musica claram, alteram meretricem Eresiam Phaonis amore captam. Praeterea Sapphonem Eresiam a Mytilenaea distinxerunt multi eorum, qui carmina Sapphica vel ediderunt, vel in vernaculam linguam transtulerunt, id praecipue spectantes ut poetriam infamia, qua illa inde ab antiquis temporibus ad nostram usque aetatem flagravit liberarent. Nonnullos eorum in lexico s. v. *Sappho* laudavit Baylius. Sapphonem

nem meretricem, non poetriam, propter Phaonis amorem e Leucata promontorio in mare se deiecisse credunt etiam Fr. Schlegelius, Ant. Moebius, qui ante aliquot annos Sapphus carmina in vernaculam translata in lucem edidit, nec non Christ. Fried. Mohnikius. Multis argumentis hanc sententiam confirmare studuit Viscontus,[81]) cui sine ulla dubitatione adstipulatur censor in Ephemer. Gott. ann. MDCCCXII. Tom. I. fasc. 2. p. 78.

Ab eorum, quos hucusque enumeravi, ratione dissentientes Baylius et Fabricius Sapphonem poetriam a Lesbia Phaonis amasia haud diversam esse perhibent. Eos secutus est Io. Ch. Wolfius fragmentorum Sapphus editor. Quaecunque de Sapphone passim memorentur, ea ad unam Lesbiam poetriam pertinere putabat etiam Olearius, qui auctorum de patria Sapphus dissensum caussam hancce habere ait, quod poetria in altera duarum urbium nata, in altera civitatis iure donata sit magnamque vitae partem ibi transegerit. Olearii iudicio subscribit Io. Christ. Cramerus in dissert. de patria Sapphus. Volgero satis probabilis videtur coniectura, Cercolam Sapphonis maritum fortunarum sedem habuisse Eresi, poëtriamque ideo hic loci cum eo commoratam esse.

Nos minime fluctuantes inter duas illas sententias, narrationem de meretrice Eresia nihili plane aestimamus unamque tantum in Lesbo exstitisse Sapphonem nobis persuasissimum habemus. Haec Eresi, teste Suida s. v. *Σαπφώ*, nata[82]) postero tempore Mytilenis ius civitatis accepisse putanda est, quapropter

---

[81]) Icon, Gr. Tom. I. p. 69 sqq.

[82]) Dioscorides in Anthol. Palat Tom. I. p. 426.

Ἥδιστον φιλέουσι νέοις προσανάκλιμ' ἐρώτων
Σαπφώ, σὺν Μούσαις ἥ ῥά σε Πιερίη,
ἢ Ἑλικὼν εὔκισσος, ἶσα πνείουσαν ἐκείναις
κοσμεῖ, τὴν Ἐρέσῳ Μοῦσαν ἐν Αἰολίδι.

eam nummis Mytilenaeis insculptam scriptorum plurimi Mytilenaeam appellant. Vide Olear. diss. de poetr. Gr. p. 183, Cramer. comment. de patria Sapphus p. 11. et Welcker. de Sapph. p. 141. Amplectimur viri docti, quem postremo loco nominavimus, sententiam, scholio hocce apud Suidam: Σαπφώ· Λεσβία ἐκ Μιτυλήνης, ψαλτρία· αὕτη δι' ἔρωτα Φάωνος τοῦ Μιτυληναίου ἐκ τοῦ Λευκάτου κατεπόντισεν ἑαυτήν poetriam respici verbaque τινὲς δὲ καὶ ταύτης λυρικὴν ἀνέγραψαν ποίησιν ab imperito quodam homine addita esse. Narratio de meretrice Eresia secundum Welckeri sententiam iis debetur, qui Sapphonem in Atticis comoediis facetiis asperioribus fixam a poetria omnino distinguendam esse sibi persuasum habuerunt, ullo modo fieri posse negantes, ut celeberrima illa mulier tantis proscinderetur convitiis.

Sapphus patri nomen fuisse *Scamandronymum* dubitari non potest, cum rei huiusce testem habeamus Herodotum, quem sequuntur Aelianus V. H. XIII, 19. et Schol. Plat. p. 56. edit. Ruhnk. Apud Suidam tamen multi variique poetriae nominantur patres, quos a variis Sapphonibus quos sibi finxerunt nonnulli originem traxisse existimes. Matrem Sapphonis *Clidem* appellat Suidas. Nupsisse narratur Sappho *Cercolae* cuidam, homini Andrio ditissimo. Poetriam antequam ab illo in matrimonium duceretur opibus haud praeditam fuisse colligi posse credit Welckerus ex hocce Aristidis loco: Οἶμαι δέ σε καὶ Σαπφὼ ἀκηκοέναι πρός τινας τῶν εὐδαιμόνων δοκουσῶν εἶναι γυναικῶν μεγαλαυχουμένης καὶ λεγούσης, ὡς αὐτὴν αἱ Μοῦσαι τῷ ὄντι ὀλβίαν τε καὶ ζηλωτὴν ἐποίησαν, καὶ ὡς οὐδ' ἀποθανούσης ἔσται λήθη. Sapphonem filiam aviae nomine nuncupatam ex marito peperisse testatur Suidas, neque dubitandum quin versus:

Ἔστι μοι καλὰ παῖς, χρυσέοισιν ἀνθέμοισιν
ἐμφερῆ ἔχοισα μορφὰν, Κλεῒς ἀγαπατά,

quos praetermisso auctoris nomine p. 55. laudat Hephaestion, ad poetriam sint referendi. Meminit filiae illius etiam Ovidius in Sapphonis ad Phaonem epistola (v. 70.)

Et tanquam desint, quae me sine fine fatigent,
Accumulat curas filia parva meas.

Cf. Max. Tyr. Dissert. XXIV. p. 297. edit. Davis. Fratres fuerunt Sapphoni *Charaxus*, *Larichus* et *Eurygius*. Larichum, qui pocillator in prytaneo Mytilenaeo erat constitutus, in carminibus suis maximo opere celebravit poetria, narrante Athenaeo. Charaxus Amaside Aegyptiorum imperium tenente vinum Lesbium negotiator Naucratim portavit ibique Rhodopin meretricem magno pretio ex servitute redemit, quam ob caussam illum multis convitiis in carminibus insectata est Sappho. *Χάραξος δέ*, inquit Herodotus, *ὡς λυσάμενος Ῥοδῶπιν ἀπενόστησε ἐς Μιτυλήνην, ἐν μέλεϊ Σαπφὼ πολλὰ κατεκερτόμησέ μιν*, quod mea quidem sententia de Charaxo omnino accipi debet neque ullo modo Rhodopin indicare potest. Apud Athenaeum tamen (lib. XIII, p. 596. B.) haec leguntur: *Ἐνδόξους δὲ ἑταίρας καὶ ἐπὶ κάλλει διαφερούσας ἤνεγκε καὶ ἡ Ναύκρατις· Δωρίχαν τε ἣν ἡ καλὴ Σαπφὼ, ἐρωμένην Χαράξου τοῦ ἀδελφοῦ αὐτῆς, κατ' ἐμπορίαν εἰς τὴν Ναύκρατιν ἀπαίροντος διὰ τῆς ποιήσεως διαβάλλει, ὡς πολλὰ τοῦ Χαράξου νοσφισαμένην.* Non solum igitur fratrem, sed etiam illius amasiam convitiis proscidit poetria. Addit Athenaeus, mulierem illam ab Herodoto male Rhodopidis nomine appellari, cum ipsa Sappho Doricham eam nuncupaverit. De rebus amatoriis Charaxi Sappho Ovidiana ita loquitur:

Arsit inops frater, victus meretricis amore,
Mistaque cum turpi damna pudore tulit;
Factus inops agili peragit freta caerula remo,
Quasque male amisit nunc male querit opes,

ex quibus verbis Pet. Burmannus nimis acute collegit, Charaxum opibus dissipatis piratam vel remigem fa-

ctum esse. Tertium Sapphonis fratrem Eurygium praeter Suidam nullus commemorat scriptor.

Iam ad aetatem Sapphus accedamus. Eam Alcaei aequalem fuisse multis veterum testimoniis comprobare studuerunt viri docti, quae ego, cum res apertissima et notissima sit, repetere nolo. Ad quaestionem potius me converto, utrum eodem quo Anacreon tempore vixerit Sappho, an non. Athenaeus lib. XIII, p. 598. C. hosce ex Hermesianactis, poetae Colophonii elegiis affert versus:

Καὶ τὴν (Σαπφώ) ὁ μελιχρὸς ἐφωμίλησ' Ἀνακρείων
στελλομένην πολλαῖς ἅμμιγα Λεσβιάσι·
φοιτᾷ δ' ἄλλοτε μὲν λείπων Σάμον, ἄλλοτε δ' αὐτὴν
οἰνηρὴν δουρὶ κεκλιμένην πατρίδα,
Λέσβον ἐς εὔοινον. —

Ἐν τούτοις, inquit Athenaeus, (p. 599. E.) *ὁ Ἑρμησιάναξ σφάλλεται, συγχρονεῖν οἰόμενος Σαπφὼ καὶ Ἀνακρέοντα, τὸν μὲν κατὰ Κῦρον καὶ Πολυκράτην γενόμενον, τὴν δὲ κατ' Ἀλυάττην, τὸν Κροίσου πατέρα. Χαμαιλέων δ' ἐν τῷ περὶ Σαπφοῦς καὶ λέγειν τινάς, φησίν, εἰς αὐτὴν πεποιῆσθαι ὑπὸ Ἀνακρέοντος τάδε·* (sequuntur versus illi passim corrupti) — *καὶ τὴν Σαπφὼ πρὸς αὐτὸν ταῦτά φησιν εἰπεῖν·*

Κῆνον, ὦ χρυσόθρονε Μοῖσ', ἔνισπες
ὕμνον, ἐκ τᾶς καλλιγύναικος ἐσθλᾶς
Τήϊος χώρας ὃν ἄειδε τερπνῶς
πρέσβυς ἀγαυός.

Hoc vero carmen non esse Sapphonis quemque intelligere, ait Athenaeus. Se ita statuere, per lusum ista de Anacreontis erga poetriam Mytilenaeam amore scripsisse Hermesianactem, quemadmodum Diphilus comicus poeta, in fabula *Sapphone* inscripta Sapphonis amatores fecerit Archilochum et Hipponactem.

Negat igitur Athenaeus, aequales fuisse Anacreontem et Sapphonem. Quae sententia licet non plane probari possit, cum aliquo tempore eodem illos vixisse, non

incredible sit,[83]) illud tamen verissime a scriptore dictum est, vatis Teii erga Sapphonem amorem commentis et lusibus poeticis omnino esse adscribendum. Fuerunt quidem, qui non modo Hermesianactis narrationem veram esse sibi persuasum haberent, sed etiam demonstrare tentarent, Anacreontem Sapphone veteriorem fuisse. Argumenta autem ad hanc sententiam comprobandam ab ipsis prolata ineptissima sunt temporumque rationi prorsus repugnant. Post Barnesium (in vit. Anacreont. p. XXVIII.) opinionem illam defendere studuit Cramerus (in Diatrib. de Synchr. Sapph. et Anacr.) teste Harlesio in Fab. Bib. Gr. Vol. II. p. 138. ubi haec scripsit vir doctus: *Cramerus, argumentis Baylii ac Wolfii atque Athenaei examinatis atque debilitatis, has rationes accurate demonstratas subducit et in tabula quadam sic comparat: Anacreon nat. Olymp. circ.* XXXVI, 3/4. *Sappho nata Olymp.* XXXX, 1. *cum Alcaeo clara habetur Olymp.* XLIII 3/4. *Anacreon Olymp.* XLV *aut sequenti Sapphus amorem ambit versibusque celebrat: Sappho vero Olymp.* XLVIII. *aut sequenti Phaonem deperit cumeoque rem turpem habet et Olymp.* L, 3. *digressum ab ipsa Phaonem in Siciliam persequitur et Olymp.* LI, 4. *ab hoc illusa vitam saltu terminat. Olymp.* LIII. 2. *Aesopus floret. Olymp.* LIV, 4. *Croesus Lydorum rex ultimus. Anacreon Ol.* LV. *et* LVI. *insignem gloriam carminibus et Polycratem sibi conciliat, atque Olymp.* LVII, 4. *moritur. Hipponax vero circ. Olymp.* LX, 1. *clarus est. His rationibus subductis Sapphum Anacreontis aequalem fuisse demonstravit fidemque Hermesianactis ab Athenaei aliorumque suspicione vindicat.* Quid de his statuendum sit nemo non

[83]) Vide Fabr. Bib. Graec. in notit. de Anacr. Viscont. Icon. Gr. I, p. 74.

videt, quapropter haud opus est, ut singula refutentur. Volgerus se omnibus bene expensis non posse ait, quin Barnesii et Crameri adsentiat iudicio, quanquam non iisdem argumentis fretum. Nullam caussam adesse perhibet, propter quam falsus dicatur Hermesinax. Illum Athenaeo multo fuisse veteriorem, rem igitur multo accuratius ipso Athenaeo tenere et veritatem praedicare potuisse. Et quoniam de Chamaeleontis narratione nullum addiderit iudicium Athenaeus eoque ipso tacite demonstraverit, se illius fidem in dubium vocare non posse, nihil impedire, quominus Anacreon re vera amasiam Sapphonem versibus a Chamaeleonte laudatis cecinisse credatur. Porro concedit Athenaeo Volgerus, Anacreontem sub Cyro et Polycrate, Sapphonem sub Alyatte vixisse, sed simul affirmat, Anacreontem Alyattis quoque aequalem et Sapphone fuisse veteriorem. Id ultimum ex ipsius Anacreontis apud Athenaeum apparere ait versibus nec non hocce Sapphus fragmento ap. Stob. Floril. LXXI. p. 291. (301.) XII. Blomf.

ἀλλ᾽ ἐὼν φίλος ἀμῖν λέχος ἄρνυσο νεώτερος·
οὐ γὰρ τλάσομ᾽ ἐγὼ ξυνοικῆν νέ᾽ οὖσα γεραιτέρῳ,

quibus versibus poetria Anacreontem alloqui putanda sit. Si autem veterior fuerit Anacreon exinde etiam cum Sapphone sub Alyatte vitam ut egerit oportere. His igitur argumentis effecisse sibi visus est Volgerus re vera Anacreontem amasse Sapphonem. Equidem contra statuo, neque versus, quos laudavit Chamaeleon, ab Anacreonte in Sapphonem factos esse, neque poetriae fragmento, quod modo attuli, Anacreontem respici, neque hunc illius amore unquam captum fuisse, et quidem hanc ob caussam, quia Sappho Anacreonte multo fuit veterior. Vetustiorem illam fuisse facili labore demonstrari potest. Suida s. v. Σαπφώ narrante iam Olymp. XLII. *floruit* poetria. Viginti igitur an-

nem ad minimum Olympiade illa nata erat. Vitam degisse putanda est usque ad tempora Amasidis, quo regnante Charaxus, quem conviciis in carminibus insectata est Sappho, Naucratim pervenit Rhodopinque meretricem servitute redemit. Amasis vero adeptus est imperium anno tertio Olympiadis quinquagesimae. Sexaginta igitur et quod excurrit annos nata erat, cum contumeliosa in fratrem eiusque amasiam conderet carmina. Quo anno natus sit Anacreon plane nescimus. Eum in aula Polycratis tyranni magnam vitae partem transegisse constat. Ab Hipparcho navi quinquaginta remorum Athenas vectus est, teste Platone. Hoc post Polycratis necem (Ol. LXIV, 1.) factum esse credo, quamvis id diserte non indicet Plato. Nam antequam e vivis excederet Polycrates, nulla Anacreonti Sami derelinquendae aderat caussa. Hipparchus anno tertio Olympiadis sexagesimae sextae ab Harmodio et Aristogitone interfectus est. Utrum ad id usque tempus Athenis vixit Anacreon, an non, ignoro. Neque annum quo mortuus sit poeta iudicare possum. Lucianus eum annos octoginta quinque natum diem supremum obiisse ait, cui scriptori in hac re parum tribuendum esse apparet. At fac vera narrare Lucianum et pone, sub finem Ol. LXVI. decessisse Anacreontem, tunc eius annus natalis ad Ol. XLV. referendus foret. Vides ne sic quidem poetam illum unquam amaturum fuisse Sapphonem. Sed procul dubio longo post Ol. XLV. tempore natus est Anacreon, cum haud verisimile sit, eum quinquaginta annis maiorem fuisse, cum Samo Athenas proficisceretur.

Alcaeum Sapphonis sibi ambiisse amorem, apud Athenaeum lib. XIII. p. 596. C. tradit Hermesianax:

Λέσβιος Ἀλκαῖος δὲ πόσους ἀνεδέξατο κώμους
Σαπφοῦς φορμίζων ἱμερόεντα πόθον,
γιγνώσκεις. ὁ δ' ἀοιδὸς ἀηδόνος ἠράσαθ' ὕμνων
Τήϊον ἀλγύνων ἄνδρα πολυφραδίῃ.

Res quodammodo comprobatur ab Aristotele Rhetor. I., 9. Ὥσπερ καὶ Σαπφὼ πεποίηκεν εἰπόντος τοῦ Ἀλκαίου.

Θέλω τι Fειπῆν, ἀλλά με κωλύει
αἰδώς —
Αἰ δ' ἶχε τ' ἐσλῶν ἵμερος, ἤ καλῶν
καὶ μή τι Fειπῆν γλῶσσ' ἐκύκα κακόν,
αἰδώς κεν οὐχί τ' ὄππατ' εἶχεν,
ἀλλ' ἔλεγες περὶ τῶ δικαίω.

Magni aestimasse Alcaeum Sapphonem carminibusque eam celebrasse, ex fragmento ap. Hephaest. p. 80. colligas, quo ita compellatur poetria:

Ἰόπλοκ', ἀγνά, μειλιχόμειδα Σαπφοῖ.

De reliqua Sapphonis vita acturus ad ipsius e patria fugam me converto. Chron. Par. epoch. 35. *ΑΦ ΟΥ ΣΑΠΦΩ ΕΓ ΜΙΤΥΛΗΝΗΣ ΕΙΣ ΣΙΚΕΛΙΑΝ ΕΠΛΕΥΣΕ ΦΥΓΟΥΣΑ . . . . . . ΟΛ . . Θ . . . . ΤΟΣ ΑΘΗΝΗΣΙ ΜΕΝ ΚΡΙΤΙΟΥ ΤΟΥ ΠΡΟΤΕΡΟΥ.* In ultima lacuna *ΕΤΗ ΗΗΗΔΔΔ ΑΡΧΟΝΤΟΣ* etc. restituit Prideauxius, haec addens: quae in ceteris lacunis delentur impossibile est restituere. Baumgartenius nihil certi quidem, at satis verisimiles coniecturas proferri posse ait. [84]) Legendum nempe censet vel [*Π*] *ΟΛ* [*ΕΜΟΝ Λ*] *Θ* [*ΗΝΑΙΩΝ*] vel [*ΜΕΤΑ ΚΕΡΚ*] *ΟΛ*? [*ΟΥ ΑΝΔΡΟΣ*] *Θ* [*ΑΝΑΤΟΝ*] vel [*ΤΗΣ Π*] *ΟΛ* [*ΕΩΣ ΟΛΕ*] *Θ* [*ΡΟΝ*] vel [*ΑΠΟ Π*] *ΟΛ* [*ΕΩΣ ΛΑ*] *Θ* [*ΡΑ*] vel denique [*Π*] *ΟΛ* [*ΙΤΩΝ ΛΑ*] *Θ* [*ΡΑ*]. Corsinus (Fast. Att. III., p. 70.) quoniam annum CCCXXX a Prideauxio in marmore restitutum, Solonis magistratu insignem fuisse constet, Critias vero neque in II. neque in ceteris mox insequentibus Olymp. XLVI. annis Archontum fastis inscribi pos-

[84]) Vid. Addend. ad Hist. Univers. Vol. I.

sit; ETH HHHΔΔΔII in Chronico Pario reponendum arbitratur. Hanc igitur si probes rationem, Sappho primo Olymp. XLVI. anno Mytilene in Siciliam tibi traiecisse putanda est. Sequitur viri docti sententiam Larcherus, [85]) neque ego assensum ei cohibeo. Cum verisimile sit, exsules Mytilenaeos Alcaeo Antimenideque ducibus circa Olymp. XLVI. in patriam invasionem fecisse, hac re eo adductam esse credo Sapphonem, ut Lesbo derelicta in Siciliam se conferret. Confirmat hanc opinionem quodammodo verbum *ΦΥΓΟΥΣΑ* quo usus est Chronici Parii auctor. Barthelemyus, [86]) cui adstipulatur Viscontus, Sapphonem Alcaei et Antimenidis partibus addictam fuisse, eamque ob caussam a Mytilenaeis exsilio affectam esse autumat.

Iam de Sapphonis cum Phaone Mytilenaeo rebus amatoriis et de saltu celeberrimo, quem illa e Leucata promontorio in mare dedisse narratur dicam. Poetriam revera amasse popularem suum diuque cum illo versatam esse dubitari nequit, licet mirae de Phaone illo a nonnullis fictae sint confabulationes. Narrat Aelianus (V. H. XII, 18.) eum a Venere, quam portitoris munere fungens trans aquam traiecerit, tam speciosa donatum esse forma, ut omnes mulieres Mytilenaeae illius caperentur amore. Plinius (H. N. XXII, 8.) de planta quadam, cui nomen *centum capita*, ita scribit: *Portentosum est quod de ea narratur, radicem eius alterutrius sexus similitudinem referre, raram inventu, sed si viris contigerit mas, amabiles fieri. Ob. hoc et Lesbium Phaonem amatum a Sappho.* Nihil est, ut propter has similesque narrationes credamus, fictam personam esse

---

[85]) In tabul. chronolog. ad Ol. XXXXVI, 1. (Chronol. Herodot. Vol. VI. p. 564. edit. pr.) *Sappho passe en Sicile. Marbres de Paros.*

[86]) In Addend. ad cap. III. operis de itin. Anach.

Phaonem, cum de Sapphonis ergo iuvenem illum amore in Epist. Heroid. XV. fuse loquatur Ovidius, qui ex ipsius poetriae Mytilenaeae carminibus multa deprompsisse putandus est. Discimus ex Ovidio Phaonem, aliquandiu Sapphone usum, deinde vero amasia relicta in Siciliam profectum ad desperationem adduxisse poetriam, quae paullo post ex promontorio illo, cui Leucata nomen, in mare praeceps se dedisse perhibetur. Veterum scriptorum de eo promontorio et de superstitione, qua illud inclaruit, locos collegerunt Jos. Scaliger in lectt. Auson. II, 18. Io. Chr. Wolfius aliique. De poetria Lesbia Strabo lib. X. p. 452. haec habet: Ἔχει δὲ τὸ τοῦ Λευκάτα Ἀπόλλωνος ἱερὸν καὶ τὸ ἅλμα, τὸ τοὺς ἔρωτας παύειν πεπιστευμένον·

Οὗ δὴ λέγεται πρώτη Σαπφὼ
ὥς πού φησιν ὁ Μένανδρος
τὸν ὑπέρκομπον θηρῶσα Φαῶν'
οἰστρῶντι πόθῳ, ῥίψαι πέτρας
ἀπὸ τηλεφάνους —

Ad saltum illum respexit Horatius Epp. I, 19, 28.

Temperat Archilochi Musam pede mascula Sappho,

quo versu alii ad masculum Sapphus in politissimis versibus scribendis ingenium, alii ad masculos eius in puellas amores alludere poetam crediderunt. Imitatus est Horatium Ausonius. (Id. VI. 21.)

Et de nimboso saltum Leucate minatur
M a s c u l a Lesbiacis Sappho peritura sagittis.

Addam verba Statii (Silv. V, 3, 155.)

Stesichorusque ferox, saltusque ingressa viriles
Non formidata temeraria Leucade Sappho.

nec non Laelii versus:

Seseque in alta maria praecipitem misit
Inops et aegra sanitatis Herois.

Veram esse hanc de saltu Sapphonis narrationem, nec certis argumentis comprobare, neque omnino negare possumus. Id autem tenendum est, Sapphonem, si revera propter Phaonis amorem e Leucate in mare se deiecit, saltu eo animam non efflasse. Sexaginta enim, ut antea vidimus, annis maior e vivis excedit poetria, quam ea aetate furoribus amatoriis ad Leucada petendam impulsam esse incredibile est. Neque illi, qui ex promontorio eo in mare se praecipites dabant, id spectarunt, ut mortem sibi consciscerent, sed ut undis lauti amoris cruciatu liberarentur. Si igitur Sappho, cum a Phaone se derelictam videret, desperatione correpta insaniae amatoriae saltu mederi tentavit, integra, non decrepita aetate id fecisse neque in mari periisse putanda est.

Familiares discipulasque satis multas fuisse Sapphoni, tum ex ipsius poetriae fragmentis intelligi potest, tum ex aliis scriptoribus, quorum locos afferre placet. Princeps eorum est Maximi Tyrii (Dissert. XXIV. p. 297. Davis.) Ὁ δὲ τῆς Λεσβίας (εἴ τοι χρὴ πρεσβύτερα τοῖς νέοις εἰκάσαι) τί ἂν εἴη ἄλλο, ἢ ἡ Σωκράτους τέχνη ἐρωτική; Δοκοῦσι γάρ μοι τὴν κατὰ ταὐτο ἑκάτερος φιλίαν, ἡ μὲν γυναικῶν, ὁ δὲ ἀῤῥένων ἐπιτηδεῦσαι. καὶ γὰρ πολλῶν ἐρᾷν ἔλεγον καὶ ὑπὸ πάντων ἁλίσκεσθαι τῶν καλῶν. ὅ, τι γὰρ ἐκείνῳ Ἀλκιβιάδης καὶ Χαρμίδης καὶ Φαῖδρος, τοῦτο τῇ Λεσβίᾳ Γύριννα καὶ Ἀτθὶς καὶ Ἀνακτορία· καὶ ὅ, τι περ Σωκράτει οἱ ἀντίτεχνοι, Πρόδικος καὶ Γοργίας καὶ Θρασύμαχος καὶ Πρωταγόρας, τοῦτο τῇ Σαπφοῖ Γοργὼ καὶ Ἀνδρομέδα· νῦν μὲν ἐπιτιμᾷ ταύταις, νῦν δὲ ἐλέγχει καὶ εἰρωνεύεται αὐτὰ ἐκεῖνα τὰ Σωκράτους. Suidas Sapphonis familiares fuisse dicit *Atthidem*, *Telesippam*, *Megaram*; discipulas vero *Anagoram Milesiam*, *Gongylam Colophoniam*, *Eunicam Salaminiam*. Apud Ovidium ita loquitur Sappho:

Nec mihi Pyrrhiades subeunt Naidesve puellae,
Nec me Lesbiadum cetera turba iuvat.
Vilis Amythone, vilis mihi candida Cydno,

Nec oculis grata est Atthis ut ante meis.
Atque aliae centum, quas hic sine crimine amavi:
Improbe multarum quod fuit unus habes.

Philostratus in vit. Apollon. Tyan. I. 30. p. 37. edit. Olear. haec scribit: καλέσας (ὁ Ἀπολλώνιος) τὸν Δάμιν, ἤρου με, ἔφη, πρώην ὅ, τι ὄνομα ἦν τῇ Παμφύλῳ γυναικὶ, ἣ δὴ Σαπφοῖ τε ὁμιλῆσαι λέγεται, καὶ τοὺς ὕμνους, οὓς εἰς τὴν Ἄρτεμιν τὴν Περγαίαν ᾄδουσι, ξυνθεῖναι τὸν Αἰολέων τε καὶ Παμφύλων τρόπον. — Καλεῖται τοίνυν ἡ σοφὴ αὕτη Δαμοφύλη καὶ λέγεται τὸν Σαπφοῦς τρόπον παρθένους τε ὁμιλητρίας κτήσασθαι, ποιήματά τε ξυνθεῖναι, τὰ μὲν ἐρωτικὰ, τὰ δὲ ὕμνους. Quae in his locis commemorantur Sapphus amicae, earum Gyrinus, Atthidis et Andromedae in fragmentis mentionem facit ipsa poetria. Frag. XXVI. Blomf.

εὐμορφοτέρα Μνασιδίκα τᾶς ἀπαλᾶς Γυρινῶς.

Fragm. XXXI.

ἔρος δ᾽ αὖτε μ᾽ ὁ λυσιμελὴς δονεῖ,
γλυκύπικρον ἀμάχανον ὄρπετον.
Ἀτθὶ, σοὶ δ᾽ ἐμέθεν μὲν ἀπήχθετο
φροντίσδην, ἐπὶ δ᾽ Ἀνδρομέδαν ποτῇ.

Fragm. XXXII.

ἠράμαν μὲν ἐγὼ σέθεν, Ἀτθὶ, πάλαι πόκα.

Fragm. XXXIII.

ἔχει μὲν Ἀνδρομέδα καλὰν ἀμοιβάν.

Verba Suidae ἑταῖραι δὲ αὐτῆς καὶ φίλαι γεγόνασι τρεῖς—πρὸς ἃς καὶ διαβολὴν ἔσχεν αἰσχρᾶς φιλίας admonent me, ut malum rumorem quo ad nostra usque tempora flagravit Sappho paucis adtingam; adtingam dico; neque enim meum est fusius pertractare hanc rem post accuratam ingeniosissimi Welckeri disputationem. Priore praeclari libelli parte demonstravit vir doctissimus, poetriam a libidinibus masculisque cupiditatibus, quarum ab antiquis et recentioribus insimulata est, alienissimam fuisse, posteriore unde malus ille rumor originem traxerit expedivit. Quo ma-

gis egregie in argumento suo tractando versatus est Welckerus et quo felicius eos, quibuscum ipsi pugnandum fuit, refutavit, eo magis miraberis, tum a praeteritorum temporum, tum nostrae aetatis hominibus, iisque non indoctis, tam perversas et ineptas de Sapphone prolatas esse sententias. Sperandum tamen fore, ut qui adhuc pravae illi adhaereant opinioni Welckeri libellum perlegentes meliora se edoceri patiantur, confidendumque neminem amplius futurum, qui in veterem errorem se implicari sinat.

Principem caussam mali rumoris in quem pervenit Sappho Atticam comoediam perhibet Welckerus. Saepissime Atheniensibus deridendam propinatam esse poetriam ex Athenaeo maxime apparet. Ad antiquam comoediam quod attinet, Sapphonem in scenam introduxerunt Plato, Cratinus et Amphis. Porro fabulas Sapphonis nomine insignitas docuerunt Ephippus, Antiphanes, Timocles et Diphilus, quorum duo priores ad mediae, posteriores ad novae comoediae scriptores referendi sunt. [87])

Iam de picturis, statuis et nummis, quibus Sapphus imaginem expressisse dicuntur veteres artifices paucis exponamus. Ad picturas statuasque quod attinet, nulla earum, quas commemorant antiqui scriptores, veros et genuinos poetriae vultus repraesentasse existimanda est. Sic potius statuendum, pictores et statuarios faciem ingenio fictam expressisse in artificiis suis. Depinxisse traditur poetriam Leo, [88]) statuam eius ex aere fabricatus esse narratur Silanion. [89]) De statua illa loquitur Cicero in Verrem IV, 57. *Nam Sappho, quae sublata de Prytaneo est, dat tibi iustam excusationem, prope ut con-*

---

[87]) Cf. Welcker p. 87 sqq.

[88]) Plin. H. N. XXXV., c. 2.

[89]) Tatian. ad Graec. c. 52. p. 113. edit. Oxon.

cedendum atque ignoscendum esse videatur. Silanionis opus tam perfectum, tam elegans, tam elaboratum, quisquam non modo privatus, sed populus potius haberet quam homo elegantissimus atque eruditissimus Verres. — Atque haec Sappho sublata quantum desiderii sui reliquerit dici vix potest. Nam quum ipsa fuit egregie facta, tum epigramma Graecum pernobile incisum habuit in basi, quod iste eruditus homo et Graeculus, qui haec subtiliter iudicat, qui solus intelligit, si unam literam Graecam scisset, certe non sustulisset. Nunc enim, quod inscriptum est inani in basi, declarat quid fuerit et id sublatum indicat. Aliam Sapphus statuam describit Damocharis Agathiae discipulus in hoc epigrammate:

Αὐτή σοι πλάστειρα Φύσις παρέδωκε τυπῶσαι
τὴν Μιτυληναίαν, ζωγράφε, Πιερίδα.
πηγάζει τὸ διαυγὲς ἐν ὄμμασι· τοῦτο δ᾽ ἐναργῶς
δηλοῖ φαντασίην ἔμπλεον εὐστοχίης.
αὐτομάτως δ᾽ ὁμαλή τε καὶ οὐ περίεργα λιπῶσα
σὰρξ ὑποδεικνυμένην τὴν ἀφέλειαν ἔχει.
ἄμμιγα δ᾽ ἐξ ἱλαροῖο καὶ ἐκ νοτεροῖο προσώπου
Μοῦσαν ἐπαγγέλλει Κύπριδι μιγνυμένην. 90)

Statuam in balneo publico Zeuxippi nomine appellato positam commemorat Christodorus:

Πιερικὴ δὲ μέλισσα, λιγύθροος ἕζετο Σαπφὼ
Λεσβιὰς ἠρεμέουσα· μέλος δ᾽ εὔυμνον ὑφαίνειν
Σιγαλέαις δοκέεσκεν ἀναψαμένη φρένα Μούσαις. 91)

Ex iis statuis quae ad nostram usque pervenerunt aetatem et quibus poetria praesentari vulgo creditur, affero hermam illam Capitolinam, cui recentioris cuiusdam manu inscripta sunt verba: *ΣΑΠΦΩ ΕΡΕΣΣΙΑ.* 92) Addere libet vas antiquum ante ali-

90) Antholog. Graec. T. IV. p. 40. Iacobs.
91) Anthol. Gr. T. III. p. 163.
92) Gronov. Thes. Antiq. Gr. T. II. tab. 34.

quot annos e Sicilia Viennam transportatum. Expressae sunt in eo viri et mulieris figurae, quibus adscripta invenies verba *ΑΛΚΑΙΟΣ* et *ΣΑΦΟ.* [93]) De reliquis huiuscemodi monimentis vide Io. Chr. Wolf. in vita Sapphus p. XXVII. et Welcker comment. de Sapphone p. 8 sqq.

Nummis Mytilenaeis insculptam esse Sapphonem ait Pollux On. IX. sect. 84. p. 1064. idque ipsum indicari censent hocce Aristotelis [94]) loco: *Πάριοι γοῦν Ἀρχίλοχον καίπερ βλάσφημον ὄντα τετιμήκασι· καὶ Χῖοι Ὅμηρον, οὐκ ὄντα πολίτην· καὶ Μιτυληναῖοι Σαπφώ, καίπερ οὖσαν γυναῖκα.* Hos nummos equidem omnes periisse arbitror vehementerque dubito, an ullus ex iis, quibus Sapphonis figuram exhiberi hodie credunt viri docti, re vera eam exhibeat. Sunt fere hi:

Nummus argenteus maiusculus, quem in Lesbo se reperisse testatur Andr. Thevetus. [95]) In aversa illius parte spectatur polypus cum litteris *ΜΥΤΙΛ.*, in adversa caput taenia opertum, quod Sapphonis esse credunt.

Nummus aeneus II. adversa parte caput mulieris comptum cum inscriptione *ΙΟΥ. ΠΡΟΚΛΑΝ ΗΡΩΙΔΑ* continens. In aversa parte videre licet feminam sedentem lyraque canentem et verba *ЄΠΙ СΤΡ. ΑΠΟΛΛΩΝ. ΜΥΤ.* [96]) Mulierem illam pro Sapphone habent Eckhelius, Viscontus, alii. Quaenam fuerit Iulia

---

[93]) Vide: *Dissertatione intorno ad una pittura Graeco-Antica, che repraesenta sopra un vaso Alceo e Saffo.* Padoua. 1824.

[94]) Rhetor. II, 23.

[95]) Vide illius histor. homin. illustr. et erudit. T. I. p 221. Ursin. imag. illustr. Vir. p. 38. In Pet. Bellorii imag. vet. phil. num. 18. Gronov. Thesaur. antiq. Gr. T. II. tab. 34.

[96]) Vide Jacob. de Wilde select. numism. antiq. tab. 8. nr. 1. p. 66. Poll. Onom. p. 1064. edit. Hemsterh. Gronov. Thesaur. antiq. Gr. T. II. p. 85. Eckhel. Doct. numm. P. 1. vol. 2. p. 504. Viscont. Tab. XXXVII, nr. 3. Cf. Icon. Gr. T. I. p. 313. sqq.

Procla herois, cuius nomen etiam in marmore Smyrnaeo apud Sponium inscr. antiq. p. 31. memoratur, ignorant antiquarum litterarum studiosi.

Nummus aeneus, cuius adversa parte exhibetur caput muliebre mitra velut reticulo tectum cum inscriptione *NAYCIKAAN HPΩIAA.* In aversa parte leguntur verba *ЄΠI CTP. IЄPOITA (IЄPOKA) MYTIA.* spectaturque mulier sedens lyramque pulsans.[97]) Eckhelius Nausicaam unam ex nobilioribus civibus esse putat, non videns, quae caussa fuerit Mytilenaeis, ut Nausicaae Homericae imaginem in nummis suis exprimerent. Imagine mulieris lyra canentis Sapphonem innui perhibent.

Nummus aeneus III. in adversa parte habens caput iuvenile diadematum, in aversa caput more peregrino ornatum cum barba promissa inque cuspidem abeunte nec non litteris *ANTIΣ.* ostendens.[98]) Haymius, qui primus duos eiusmodi nummos protulit, inscriptionem per Ἀντισθένης explicuit. Hanc sententiam merito respuens Liebius, qui nummum Haymianis similem vulgavit, Ἀντισσαίων litteras interpretatus est, quam explicationem posthac probarunt omnes. Adversae partis caput Sapphus, aversae imaginem Alcaei esse statuit Liebius. Alii in aversa parte Orpheum praesentari credunt.

Nummus aeneus III, in adversa parte caput muliebre, aversa litteras *MYT.* lyramque exhibens. De hoc nummo, qui Viennae in mus. Caes. reperitur, multus est Viscontus, non dubitans, quin Sapphus imago in parte adversa expressa sit.

Num-

97) Iacob. Spon. Miscell. erudit. antiq. p. 130. Eckhel. Doctr. numm. l.l. Visc. Tab. XXXVII. nr. 4. Mionnet. Tom. III. p. 47. nr. 112. 113.

98) Haym. Thes. Brit. T. I. p. 128. Lieb. Goth. numm. c. 5. §. 10. p. 162. Eckhel. Doctr. numm. l.l. p. 501. Mionnet. T. III. p. 35. Cf. Nicl. ad Antig. Caryst. V. p. 9.

Nummus argenteus, cuius adversa parte continetur caput muliebre corona hederacea cinctum, aversa integra feminae lyram manu tenentis figura cum inscriptione *ΣΑΠΦΩ ΛΕΣΒΙΣ*, iamdudum suspicionem movit viris doctis. Idem valet de nummo aeneo apud Sestinum (lett. numism. T. VIII. p. 71.) Monstrat ille adversa parte mulierem sedentem, quae dextra manu plectrum tenet, sinistra lyram iuxta positam tangit, cum inscriptione *ΣΑΦΦΩ*.

Vir doctus *Alkier de Hauterobche* in dissertatione (*Notizie intorno a Saffo de Ereso*) Parisiis MDCCCXXII. edita, quam mihi ipsi inspicere non licuit, descripsit nummum Lesbium, qui adversa parte habet caput Commodi cum inscriptione *ΑΥ. ΚΑΙ. ΚΟΜΜΟΔΟΣ*, aversa caput muliebre capillis contortis inque nodum collectis cum verbis *ΣΑΠΦΟ ΕΡΕΣΙ*. Welckerus l. l. p. 11. nummos quosdam commemorat cum lyris capitibusque muliebribus, quae Sapphonis esse arbitratur.

Properandum nobis est ad Sapphonis poesin. Quanquam aetas illi paullo magis propitiam sese praestitit, quam Alcaeo, cum poetae huius opera versibus paucissimis exceptis penitus deleverit, ex illius scriptis vero praeter unum integrum carmen magnamque alius partem satis amplam fragmentorum copiam nobis reliquerit, tamen poetriae Lesbiae ingenium et merita magis ex iudiciis, quae veteres de ea tulerunt, quam ex carminum ipsius reliquiis ut pendamus necesse est. Quapropter me haud abs re facturum arbitror, si aliorum qui Sapphonis vitam enarrarunt exemplum secutus antiquorum scriptorum de vate Lesbia dicta ac testimonia ordine recenseam, ut quemnam illa inter Graeciae poetas locum obtinuerit intelligi queat. Iudicium de Sapphone antiquissimum, quantum scio, Platonis est, cuius hoc legitur epigramma:

Ἐννέα τὰς Μούσας φασίν τινες· ὡς ὀλιγώρως·
ἠνίδε καὶ Σαπφὼ Λεσβόθεν ἡ δεκάτη.

Versus hos imitatus est Antipater Sidonius (Anthol. Pal. II, p. 25.)

Μναμοσύναν ἕλε θάμβος, ὅτ᾽ ἔκλυε τᾶς μελιφώνου
Σαπφοῦς, μὴ δεκάταν Μοῦσαν ἔχουσι βροτοί.

Addam reliqua epigrammata, quae continet Anthologia.

Dioscorides (Anthol. Palat. I. p. 426):

Ἥδιστον φιλέουσι νέοις προσανάκλιμ᾽ ἐρώτων,
Σαπφώ, σὺν Μούσαις ἥ ῥά σε Πιερίη,
ἢ Ἑλικὼν εὔκισσος, ἴσα πνείουσαν ἐκείναις,
κοσμεῖ, τὴν Ἐρέσῳ Μοῦσαν ἐν Αἰολίδι·
ἢ καὶ Ὑμὴν Ὑμέναιος ἔχων εὐφεγγέα πεύκην
σὺν σοὶ νυμφιδίων ἵσταθ᾽ ὑπὲρ θαλάμων·
ἢ Κινύρεω νέον ἔρνος ὀδυρομένη Ἀφροδίτῃ
σύνθρηνος, μακάρων ἱερὸν ἄλσος ὁρῇς·
πάντη, πότνια, χαῖρε· θεοῖς ἴσας γὰρ ἀοιδάς,
ἀθανάτας ἔχομεν σὰς ἔτι θυγατέρας.

Antipater Sidonius (Antholog. Pal. I. p. 310):

Σαπφώ τοι κεύθεις, χθὼν Αἰολί, τὰν μετὰ Μούσαις
ἀθανάταις θνατὰν Μοῦσαν ἀειδομέναν,
ἂν Κύπρις καὶ Ἔρως σὺν ἅμ᾽ ἔτραφον, ἃς μετὰ Πειθὼ
ἔπλεκ᾽ ἀείζωον Πιερίδων στέφανον,
Ἑλλάδι μὲν τέρψιν, σοὶ δὲ κλέος. ὦ τριέλικτον
Μοῖραι δινεῦσαι νῆμα κατ᾽ ἠλακάτας,
πῶς οὐκ ἐκλώσασθε πανάφθιτον ἦμαρ ἀοιδῷ
ἄφθιτα μησαμένᾳ δῶρ᾽ Ἑλικωνιάδων;

Idem (Anthol. Pal. l.l.):

Οὔνομά μευ Σαπφώ· τόσσον δ᾽ ὑπερέσχον ἀοιδὰν
θηλειᾶν, ἀνδρῶν ὅσσον ὁ Μαιονίδας.

Tullius Laurea (Anth. Pal. l.l.):

Αἰολικὸν παρὰ τύμβον ἰών, ξένε, μή με θανοῦσαν
τὰν Μιτυληναίαν ἔννεπ᾽ ἀοιδοπόλον.
τόνδε γὰρ ἀνθρώπου ἔκαμον χέρες· ἔργα δὲ φωτῶν
ἐς ταχινὴν ἔῤῥει τοιάδε ληθεδόνα.
ἢν δ᾽ ἐμὲ Μουσάων ἐτάσῃς χάριν, ὧν ἀφ᾽ ἑκάστης

δαίμονος ἄνθος ἐμῇ θῆκα παρ' ἐννεάδι,
γνώσεαι ὡς Ἀίδεω σκότον ἔκφυγον· οὐδέ τις ἔσται
τῆς λυρικῆς Σαπφοῦς νώνυμος ἠέλιος.

Pinytus (Antholog. Palat. l. l.):

Ὀστέα μὲν καὶ κωφὸν ἔχει τάφος οὔνομα Σαπφοῦς·
αἱ δὲ σοφαὶ κείνης ῥήσιες ἀθάνατοι.

Incert. auct. (Anthol. Palat. II. p. 184):

Οὐκ ἄρα σοί γε ὀλίζον ἐπὶ κλέος ὤπασε Μοῖρα
ἤματι, τῷ πρώτῳ φῶς ἴδες ἀελίου,
Σαπφοῖ. σοὶ γὰρ κισσὸν ἐνείμαμεν ἄφθιτον εἶμεν,
σὺν δὲ πατὴρ πάντων νεῦσεν ἐρισφάραγος.
μέλψῃ δ' ἐν πάντεσσιν ἀοίδιμος ἀμερίοισιν,
οὐδὲ κλυτᾶς φάμας ἔσσεαι ἠπεδανά.

Inter prosae scriptorum testimonia magni momenti est dictum Strabonis: *Σαπφώ, θαυμαστόν τι χρῆμα· οὐ γὰρ ἴσμεν ἐν τῷ τοσούτῳ χρόνῳ τῷ μνημονευομένῳ φανεῖσάν τινα γυναῖκα ἐνάμιλλον, οὐδὲ κατὰ μικρὸν, ἐκείνῃ ποιήσεως χάριν.* Musis Sapphonem adnumerat etiam Plutarchus T. XII. p. 42. *ἄξιον Σαπφοῦς παρὰ ταῖς Μούσαις μνημονεύσασθαι.* Idem de Pyth. Orac. T. IX. p. 256. Sapphus carmina magnam habere ait venustatem, quae audientium aures demulceat atque oblectet. Demetrius Phalereus de Elocut. p. 56. Sapphonis poesin universam gratiis repletam dicit et p. 69. Sapphonem de pulchritudine canentem verbis pulchris uti totamque suavem esse perhibet. Appuleius Apolog. p. 412. Sapphonem lascivam quidem esse, sed linguae insolentiam carminum dulcedine commendare affirmat. Catullus Carm. 15. poetriam Musa doctiorem dicit.

Cum hisce veterum scriptorum locis conferendi Longinus c. X. atque Dionysius Halic. de Composit. verborum T. V. p. 173. R. qui laudatis poetriae Lesbiae carminibus qua arte Sappho in iis componendis usa sit ostendunt. Haec, quae fortuna propitia nobis servavit, carmina laudes quibus veteres cumularunt Sapphonem minime vanas esse comprobant. Pertine-

bant odae illae ad μέλη λυρικὰ, quorum libros novem olim exstitisse ex Suida apparet. Lyricis his poetriae carminibus continebantur *carmina nuptialia*, (ἐπιθαλάμια) *hymni*, *elegiae*, *epigrammata*, quorum tria integra in Anthologia leguntur, et *monodia*. In his enim carminum generibus elaborasse Sapphonem tradunt scriptores, quorum locos collegerunt fragmentorum Sapphicorum editores. Pectidis seu magadidis inventionem quam Terpandro tribuit Pindarus, verius Sapphoni ab aliis adscribi mouimus p. 155. Idem dicendum de modo Mixolydio, cuius inventionem in Terpandrum transtulisse nonnullos commemoratum a nobis p. 157. — Vide Plutarch. de mus. T. XIV. p. 223. Plectrum Sapphoni repertum tribuit Suidas.

De *Erinna*, cum a nonnullis Lesbo oriunda perhibeatur, pauca commemorare non absonum videtur. Ei alios Tenum vel Telum, alios Rhodum, alios Lesbum patriam tribuisse e Suida et Eustathio apparet. Praeter epigrammata, quorum nonnulla hodieque leguntur, carmen e versibus trecentis, qui Homericis aequabantur, quinimo anteponebantur, constans et *Coli* (ἠλακάτης) nomine appellatum scripsisse Erinnam annosque undeviginti natam e vivis excessisse tradunt. Licet Lesbiam fuisse hanc poetriam non omnino certum sit, tamen quin Sapphonis tempore vixerit inque illius familiaritate fuerit dubitari non potest. Illorum enim sententia qui ad Aristotelis et Demosthenis aetatem (Ol. CVI.) referunt Erinnam nullo pacto admittenda. Odam εἰς τὴν Ῥώμην, quam Erinnae vulgo tributam Serm. VII. p. 87. Gesner. servavit Stobaeus, Melinnoni adscribendam vidit Welckerus in Creuzeri Melet. e discip. antiq. P. II. ubi de Erinna pro insigni sua sagacitate et doctrina commentatus est.

Eadem Lesbus, ubi nati sunt musici atque poetae optimis eorum quae universa Graecia protulit adnumerandi, illorum unum produxit, qui secundum omnium antiquorum scriptorum testimonia artem musicam de-

pravaverunt atque pessum dederunt. Sunt illi Phrynis Mytilenaeus, Cinesias atque Timotheus Milesius. Phrynis Canopis filius bellorum Persicorum tempore arte musica famam nactus esse dicitur.[99]) Ab initio ut aiunt, auloediae operam navavit, mox Aristoclidis discipulus factus ad citharoediam studium applicuit. Istri narrationem, qui Phrynidem Hieronis tyranni coquum fuisse eumque aliis Aristoclidi citharizandi arte instituendum traditum esse aiebat, eodem argumento refutat Aristophanis scholiastes, quo utitur vitae Sophoclis scriptor ad eos refellendos, qui tragici patrem fabri lignarii vel ferrarii vel gladiarii artem exercuisse tradiderant. Dicit nempe, servus Hieronis et coquus si fuisset Phrynis, Aristophanem, Pherecratem[100]) aliosque poetas comicos, qui saepenumero eum ob corruptam musicam reprehenderint spectatoribusque deridendum propinaverint, rei illius mentionem facere non intermissuros fuisse. Versus nonnullos Pherecratis conviciis Phrynidem proscindentis posuit Plutarchus in libro de musica c. XXX. ubi conferenda quae adnotavit Burettus. Septem pristinae lyrae chordis duas addidit Phrynis, quas, Spartam cum deveniret musicus, Ecprepes ephorus forfice abscidisse fertur dixisseque: *Μὴ κακούργει τὴν μουσικήν.*[101]) Ipsam musicam a simplici et gravi priscorum ratione deflectens effeminavit atque emollivit Phrynis, in Panathenaeorum certamine victor Callia archonte, devictus a Timotheo, ut apparet ex Plutarcho *περὶ τοῦ ἑαυτὸν ἐπαινεῖν ἀνεπιφθ.* c. 1. *ἀλλὰ καὶ τοὺς στεφανουμένους ἐν τοῖς ἀγῶσιν ἕτεροι νικῶντας ἀναγορεύουσι, τὴν ἀηδίαν τῆς περιαυτολογίας ἀφαιροῦντες. ἧ καὶ τὸν Τιμόθεον ἐπὶ τῇ κατὰ Φρύνιδος*

---

99) Schol. Aristoph. ad Nub. 965. quem exscripsit Suidas s. v. *Φρῦνις*.

100) Pro *Ἀριστοκράτης, Φερεκράτης* corrigendum apud schol. Aristoph. vidit Meziriac ad Plut. de mus. c. 30.

101) Lacon. Apophth. p. 205. Hutten.

νίκῃ γράφοντα· Μακάριος ἦσθα, Τιμόθεε, ὅτε κάρυξ εἶπε· Νικᾷ Τιμόθεος ὁ Μιλήσιος τὸν Κάρβωνος[102]) τὸν ἰωνοκάμπταν εἰκότως δυςχεραίνομεν ὡς ἀμούσως καὶ παρανόμως ἀνακηρύττοντα τὴν ἑαυτοῦ νίκην.

Poetis et musicis de quibus exposuimus alii minus memorabiles subiungendi sunt. Phrynidis aetate *Aristoclides*, ut a nobis modo animadversum, vitam degit, qui a Terpandro oriundus perhibetur. Illo antiquior est *Euaenetides* citharoedus. Longo post illos tempore, ut equidem opinor, (neque enim certi quidquam traditum invenio) prodiit *Agenor* Mytilenaeus, a quo secta Musicorum Agenoria nomen traxit. — Poetae epici memoratu digni sunt *Dionysius* et *Theolytus*. Prior, Mytilenaeus, ἐποποιός dicitur Suidae, qui οὗτος inquit, ἐκλήθη Σκυτοβραχίων καὶ Σκυτεύς. Aetas illius certo definiri nequit. Eorum enim narrationem, qui M. Antonium Gniphonem, Ciceronis et Caesaris aequalem, in contubernio Dionysii Scytobrachionis institutum tradidere, probabilitate prorsus absonam esse, post Suetonium recte iudicarunt Casaubonus et G. I. Vossius. Etenim si Caesaris et Ciceronis aetate vixisset Dionysius Mytilenaeus, fieri non potuisset, ut ei rerum Lydiarum historiam, a Xantho septuagesimae quintae Olympiadis scriptore secundum plurimorum narrationem conditam, nonnulli adtribuerent, quod factum esse refert Athenaeus lib. XII, p. 415. Schweigh. Λυδοὶ δὲ εἰς τοσοῦτον ἦλθον τρυφῆς, ὡς καὶ πρῶτοι γυναῖκας εὐνουχίσαι, ὡς ἱστορεῖ Ξάνθος ὁ Λυδός, ἢ ὁ εἰς αὐτὸν τὰς ἀναφερομένας Ἱστορίας συγγεγραφώς, Διονύσιος ὁ Σκυτοβραχίων, ὡς Ἀρτέμων φησὶν ὁ Κασανδρεὺς ἐν τῷ περὶ συναγωγῆς βιβλίων· ἀγνοῶν, ὅτι Ἔφορος ὁ συγγρα-

102) Xylander ex Suida corrigendum ait Κάνωβος. Voluit, credo, Κάνωπος quod legitur ap. lexicographum s. v. Φρῦνις. Idem, ut equidem opinor, in mente habuit Burettus qui (Mem. Acad. inscr. XIII. p. 269.) apud Plut. scribi iubet Κάβωνος.

φεὺς μνημονεύει αὐτοῦ ὡς παλαιοτέρου ὄντος καὶ Ἡροδότῳ τὰς ἀφορμὰς δεδωκότος. Nimis spissus, ut recte monet G. I. Vossius, Artemonis Cassandrensis error foret, si revera Dionysio Scytobrachione usus esset M. Ant. Gnipho. Ad Lydiam historiam quod attinet, quaestionem de illius auctore attigit Creuzerus ad Hist. Graec. fragm. p. 140 sq. qui licet in hac re, quae iam veterum ingenia magnopere exercuit, nihil pro certo pronuntiare audeat, illud tamen tenere iubet lectores, Artemonis argumenta neque a Dionysio Halicarnasseo, neque ab Athenaeo tanti facta esse, ut ea auctoritati Ephori anteponerent. Ego quamvis veram esse Artemonis opinionem mihi persuadere nequeam, illud tamen inde colligi posse credo admodum vetustum scriptorem fuisse Dionysium Mytilenaeum. Alioquin enim quomodo in sententiam suam adduci potuerit Artemon non video. Iam ad Dionysii scripta nobis accedendum est. Attribuit illi Suidas τὴν Διονύσου καὶ Ἀθηνᾶς στρατείαν, Ἀργοναύτας ἐν βιβλίοις ἕξ et μυθικὰ πρὸς Παρμένοντα. Argonautica oratione soluta scripta esse diserte indicat lexicographus; non igitur dubitandum, quin illa *Bacchi et Minervae expeditio* poema heroicum fuerit Dionysioque ἐποποιοῦ nomen conciliaverit. Ad μυθικὰ quod attinet, ea quoque oratione pedestri composita fuisse videntur. Argonauticorum Dionysii saepius meminit scholiastes Apollonii Rhodii. Sic enim ille ad lib. I, 1289. Διονύσιος ὁ Μιτυληναῖος συμπεπλευκέναι φησὶ τὸν ἥρωα (τὸν Ἡρακλέα) τοῖς ἀριστεῦσιν ἕως Κόλχων, καὶ τοῖς περὶ Μήδειαν συμπεπραχέναι τῷ Ἰάσονι. Ad lib. IV, 177. haec habet: Διονύσιος ὁ Μιτυληναῖος ἄνθρωπόν φησι γεγενῆσθαι παιδαγωγὸν τοῦ Φρίξου ὀνόματι Κριόν, quae pleniora leguntur ad lib. II, 1144. Διονύσιος ἐν τοῖς Ἀργοναύταις φησὶ Κριὸν γεγονέναι τροφέα Φρίξου· ὃν αἰσθόμενον τῆς ἐπιβουλῆς Ἰνοῦς, ὑποθέσθαι τῷ Φρίξῳ τὴν φυγὴν ποιήσασθαι. Ὅθεν καὶ μεμυθεῦσθαι, ὡς ὑπὸ κριοῦ διασωθείη. Confer schol. ad IV, 119. ubi

eadem fere verba posita reperies. Haec ex secundo libro Argonauticorum Dionysii Mytilenaei repetita esse patet ex iis, quae ad lib. I, 256. scribit Apollonii scholiastes: *Διονύσιος ἐν β' Κριόν φησι Φρίξου τροφέα γενέσθαι καὶ συμπεπλευκέναι αὐτῷ εἰς Κόλχους.* Aliam ex Argonauticis Dionysii narrationem ad lib. II, 207. affert scholiastes ille: *Διονύσιος ἐν τοῖς Ἀργοναύταις φησὶν ἀναιρεθῆναι τὸν Φινέα ὑπὸ Ἡρακλέους, ἰδόντος τοὺς παῖδας ἐν ἐρημίᾳ καὶ μαθόντος, ὅτι ὑπὸ Φινέως ἦσαν ἐκβεβλημένοι κατὰ διαβολὴν Σκυθικῆς γυναικὸς ἣν γεγαμήκει ὁ Φινεὺς, παραιτησάμενος Κλεοπάτραν. Γεγόνει δὲ τοῦ Φινέως καὶ πρεσβύτης κατήγορος παρὰ τῷ Ἡρακλεῖ. Διόπερ Ἡρακλῆς ἀναιτίους εὑρὼν τοὺς παῖδας, κατήγαγεν εἰς τὴν πατρῴαν οἰκίαν. Φινέα δὲ ἀνιστάμενον καὶ θελήσαντα καταποντίσαι τὸν ἕτερον τῶν παίδων λακτίσας ὁ Ἡρακλῆς ἀπέκτεινεν,* quae tamen utrum e Dionysii Scytobrachionis, an ex alius cuiusdam opere deprompta sint non dixerim. Diodorus Siculus in multis veterum fabularum exponendis se Dionysii narrationem sequentem illas tradere ait. Lib. III. nempe c. 52. postquam eos, qui ad solum Thermodontem Amazones exstitisse putarent, vehementer falli pronuntiavit et Amazonum Africanarum famam Thermodontearum splendore obscuratam et propter vetustatem intermortuam esse monuit, ita pergit: *Οὐ μὴν ἀλλ' ἡμεῖς εὑρίσκοντες πολλοὺς μὲν τῶν ἀρχαίων ποιητῶν τε καὶ συγγραφέων, οὐκ ὀλίγους δὲ καὶ τῶν μεταγενεστέρων, μνήμην πεποιημένους αὐτῶν ἀναγράφειν τὰς πράξεις πειρασόμεθα ἐν κεφαλαίοις, ἀκολούθως Διονυσίῳ τῷ συντεταγμένῳ τὰ περὶ τοὺς Ἀργοναύτας καὶ τὸν Διόνυσον καὶ ἕτερα πολλὰ τῶν ἐν τοῖς παλαιοτάτοις χρόνοις πραχθέντα.* Eiusdem libri c. 66. Lybicas de Baccho narrationes a Dionysio servatas se relaturum esse professus addit: *Οὗτος γὰρ τά τε περὶ Διόνυσον καὶ τὰς Ἀμαζόνας, ἔτι δὲ τοὺς Ἀργοναύτας καὶ τὰ κατὰ τὸν Ἰλιακὸν πόλεμον πραχθέντα καὶ πολλ' ἕτερα συντέτακται, παρατιθεὶς τὰ ποιήματα τῶν ἀρχαίων, τῶν τε μυθολόγων καὶ τῶν ποιητῶν.* G. I. Vossius omnia

illa quae de Amazonibus et de Baccho narrat Diodorus Dionysio Scytobrachioni deberi existimat. Sed neque hoc probandum, neque Creuzeri sententia, (de arte hist. Graec. p. 76.) in Diodori locis de Dionysio Milesio cogitandum existimantis. E Samio potius Dionysio res laudatas hausisse putandus est Diodorus. Vid. Panofka de reb. Sam. p. 94 sq. Boeckh. Explicatt. ad Pind. p. 233. Müller. Prolegg. ad Myth. p. 95. 98. De carmine epico Dionysii fortasse loquitur Apollonii scholiastes, ita scribens ad lib. II, 904. Ὅτι κατεπολέμησεν Ἰνδοὺς ὁ Διόνυσος, Διονύσιός φησι.

Incertae aetatis est *Theolytus* Methymnaeus duobus Athenaei locis nec non a scholiasta Apollonii Rhodii commemoratus. Apud Athenaeum recte, ut equidem opinor, scripturam Θεόλυτος codicibus confirmatam retinuit Schweighäuserus, spreta Casauboni sententia, qui in utroque loco Θεόκλυτος reponi iusserat. Neque iniuria Casaubonum reprehendit Schweighäuserus, quod ille Theolytum Lesbium eundem statuerat cum Theocle, qui Ithyphallicorum auctor laudatur ab Athenaeo lib. XI. p. 497. C. Noster Theolytus Βακχικὰ ἔπη composuit, quorum hosce versus servavit Athenaeus, depromptos ex sermone Glauci a Baccho quod Ariadnae in Naxo vim inferre tentaverat palmite vincti a deoque ut ipsum in libertatem vindicaret precantis:

Ἀνθηδών νύ τις ἐστὶν ἐπὶ πλευροῖο θαλάσσης,
ἀντίον Εὐβοίης, σχεδὸν Εὐρίποιο ῥοάων.
ἔνθεν ἐγὼ γένος εἰμί· πατὴρ δέ με γείνατο Κωπεύς.

Porro Theolytum ἐν δευτέρῳ Ὥρων citat Athenaeus libr. XI, p. 470. C, in quo loco ante Schweighäuserum legebatur Ὡρῶν, proinde ac si nominativus esset ὧραι. Recte vero observat novissimus ille Athenaei editor, tum hic, tum in aliis locis, ubi ὡρῶν scriptores memorentur, reposito ὥρων intelligendos esse Annalium sive chronicorum auctores. Ὧρον enim an-

num dixisse veteres Graecos ex Glossographis comprobat vir doctus afferens praeter alia haecce Hesychii: Ὧροι· οἱ ἐνιαυτοί, Ὧρος· ἐνιαυτός, Ὡρογράφοι· ἱστοριογράφοι, τὰ κατ' ἔτος πραττόμενα γράφοντες, ὧροι γὰρ, οἱ ἐνιαυτοὶ et illa Erotiani in lex. Hippocr. Ὧρος, ὁ χρόνος καὶ Ὡρογράφοι, οἱ περὶ χρόνου γράψαντες. Ex his recte collegit Schweighäuserus, Annales composuisse Theolytum, neque tamen generales, sed sigillatim Methymnaeorum aut certe Lesbiorum. Ceterum non dubito, quin hi Theolyti Methymnaei annales pariter atque poetae illius Bacchica hexametris heroicis conscripti fuerint.

Aeschrion Mytilene oriundus Alexandroque Magno expeditionum comes, poeta epicus perhibetur a Suida, quo teste Nicander Alexandrinus in libro de Aristotelis auditoribus tradiderat, philosophi huius familiarem atque amasium illum fuisse.

Poetis hisce epicis adiungam *Alpheum* Mytilenaeum, cuius epigrammata et scolium exstant in Anthologia, *Xenophanem*, qui iamborum scriptor perhibetur a Diogene Laertio IX, 20, *Crinageram* epigrammatum nonnullorum auctorem nec non *Archytam* musicum Mytilenaeum, quem commemorat *Diogenes* Laertius VIII, 82. ad quem locum animadvertit Menagius, Archytam eundem videri eum eo, qui *Harmoniacus* dicatur Athenaeo lib. XIII, p. 600. F. — *Cratinus* Methymnaeus ψιλοκιθαριστὴς laudatur ab Athenaeo XII, p. 538.

Reliquas artes parum coluisse videntur Lesbii. Ne unus quidem qui pingendo inclaruerit mihi innotuit. Ad statuariam quod attinet, Athenaeus lib. IV, p. 182 F. ita scribit: ἐν γοῦν Μιτυλήνῃ μίαν τῶν Μουσῶν πεποιῆσθαι ὑπὸ Λεσβοθέμιδος, ἔχουσαν σαμβύκην, et lib. XIV, p. 635. A. πλεῖστον δ' εἶναι τοῦτο τὸ ὄργανον ἐν Μιτυλήνῃ, ὡς καὶ μίαν τῶν Μουσῶν ἔχουσαν αὐτὸ ὑπὸ Λεσβοθέμιδος ποιηθῆναι ἀρχαίου ἀγαλματοποιοῦ. Quantopere in gymnasticam incubuerint Lesbii ex in-

scriptionibus patet. Olymp. LXXVI. Diodoro (XI, 48.) teste in stadio Olympiae victor inscriptus est Scamandrius Mytilenaeus. — In fine huius disputationis affero *Heraclitum* praestigiatorem Mytilenaeum, quem comitem habuit Alexander M., nec non *Leontem* Mytilenaeum arte calculis ludendi teste Phania invictum. Vide Athen. I, p. 20. A. XII, p. 538. E. I, p. 16. E.

CAPUT SEXTUM.

Litterae.

Res de quibus in hoc capite nobis agendum est ita pertractabimus, ut primum de historicis, tum de philosophis, denique grammaticis et rhetoribus exponamus.

Historicorum Lesbiorum pater atque princeps est *Hellanicus Mytilenaeus* de quo cum vir doctus singulari libello accuratissime disputaverit fragmentaque eius diligenter collecta erudite illustraverit, ea, quae scitu maxime digna sunt, attulisse satis habemus. Hellanicum, qui Olympiadis LXXI anno primo natus et Olympiadis XCII anno secundo vita defunctus est, alii ab Aristomene, alii ab Andromene, alii a Scamone genitum tradiderunt. Quanquam scriptor ille multis aliis, praesertim tribus Graecae historiae principibus, Herodoto, Thucydide et Xenophonte longe inferior fuisse dicitur nec non plagii, negligentiae, partium studii aliorumque vitiorum a multis graviter accusatur,[1]) tamen quae illius exstant fragmenta iusto integrorum operum, temporis iniuria nobis ereptorum desiderio nos afficiunt. Opera quae a veteribus scriptoribus attribuuntur Hellanico sunt fere haec: *Αἰγυπτιακά, Αἰολικά, ἡ εἰς Ἄμμωνος ἀνάβασις, Ἀργολικά, περὶ Ἀρκαδίας, Ἀσωπίς, Ἀτθὶς* vel *Ἀτθίδες, Ἀτλαντὶς, βαρβαρικὰ νόμιμα, Βοιωτιακά, Δευκαλιωνία, περὶ ἐθνῶν,*

---

[1]) Vide Sturz. p. 9 sqq.

ἐθνῶν ὀνομασίαι, Θετταλικὰ, Ἱέρειαι τῆς Ἥρας, ἱστορίαι, Καρνεονῖκαι, Κρανὰϊκὰ, κτίσεις, Κυπριακὰ, Λεσβιακὰ, τὰ περὶ Λυδίαν, Περσικὰ, Σκυθικὰ, Τρωϊκὰ, Φοινικικὰ, Φορωνίς. Tanta diversorum librorum multitudo viris doctis ita minuenda esse videtur, ut non pauci eorum habeantur pro operum quorumdam partibus. Opus Λεσβιακὰ inscriptum partem Αἰολικῶν,[2]) Asopidem partem Βοιωτιακῶν [3]) constituisse censent; ad κτίσεις quas composuisse traditur Hellanicus Κυπριακὰ, Αἰολικὰ, τὰ περὶ Λυδίαν, Περσικὰ, Σκυθικὰ, Τρωϊκὰ, Φοινικικὰ referenda arbitrantur. [4]) Καρνεονῖκαι de quibus loquitur Athenaeus [5]) duplicis fuerunt generis. Commemorantur nempe ab eo scriptore οἱ ἔμμετροι Καρνεονῖκαι et οἱ καταλογάδην. Opus illud metrice conscriptum carminibus poetarum cyclicorum simile erat, quo eos qui in Carneis vicissent recensuit [6]) Hellanicus, non celebravit, ut visum est Sturzio cum carmine illo Pindari Ὀλυμπιονίκας, Πυθιονίκας etc. male comparanti. Eiusdem argumenti opus erat, quod pedestri sermone composuerat Hellanicus. De reliquis historici Mytilenaei operibus consulendus Sturzii libellus.

Ad *Myrsilum* accedo, rerum Lesbi insulae scriptorem. Nomen illius e Methymna, si Stephano Byzantio fides adhibenda est, oriundi, in plerisque auctorum Graecorum locis corruptum invenitur. Apud Stephanum s. v. Μήθυμνα scriptum est Μυρσῖνος; apud Strabonem lib. I. p. 60. ante Xylandrum legebatur Μυρσίλαος; in Schol. Apollon. Rhod. I, 615. Μυρτίλος, in Schol. Paris. Μυρτίλος reperies. Μυρτίλος habent etiam Plutarchus de solertia animalium. c. 36.

---

[2]) Sturz. p. 47. Creuzer. de hist. Graec. p. 82.

[3]) Sturz. p. 50. cuius tamen sententiam improbat Müllerus Aeginet. p. 11.

[4]) Creuzer. l. l. p. 85.

[5]) Lib. XIV, p. 635. F. vide Sturz. p. 83.

[6]) Creuzer. l. l. p. 84.

et Suidas. s. v. *Δήμνιον.* Arnobius disput. adv. gent. lib. II. p. 115. et lib. IV. p. 136. edit. Stevvech. ipse quoque *Myrtilus* scripsit. In Etymolog. Magn. s. v. *Μύλος, Μυρσίλος* pro *Μύσιμβλος* corrigendum esse recte iudicavit Sylburgius. Qua tempestate Myrsilus vitam degerit opusque suum condiderit me ne suspicari quidem fateor. Scriptorum qui illius mentionem faciunt antiquissimi sunt Strabo et Dionysius Halicarnasseus. Lesbiaca Myrsili, non uno tantum libro scripta et veteribus auctoribus saepenumero commemorata, tum geographicas tum historicas insulae res complectebantur. Ad priorem partem referenda quae leguntur apud Strabonem lib. I. p. 60. *Ἡ δὲ Ἄντισσα νῆσος ἦν πρότερον, ὡς Μυρσίλος φησί· τῆς γὰρ Λέσβου καλουμένης πρότερον Ἴσσης, καὶ τὴν νῆσον Ἄντισσαν καλεῖσθαι συνέβη.* Eodem pertinere videntur, quae in historiarum mirabilium collectaneis tradit Antigonus Carystius (c. XVII.), in Lepetymno Lesbi monte fanum exstitisse Apollinis nec non sacellum Lepetymni herois, in quo sicuti Cranone duo tantum commorati sint corvi, licet haud pauci fuerint in proximis locis. In descriptione insulae illa quoque narrasse arbitror Myrsilum, quae idem Antigonus cap. VII. ex eo habet, in Antissaea regione, quo loco caput Orphei ab incolis sepultum fuerit, luscinias dulcius quam alibi canere. Geographica quaedam affert etiam Plinius, ita scribens in Hist. Nat. lib. III, c. 7. *Sardiniam ipsam Timaeus Sandaliotin appellavit, ab effigie soleae, Myrsilus Ichnusam, a similitudine vestigii.* Idem Plinius lib. IV, 12. hoc narrat: *Ipsam* (Andron) *Myrsilus Cauron, deinde Antandron cognominatam tradit.* Haec ex Myrsili Lesbiacis repetita esse non dubito, licet qua re scriptor ad illa enarranda adductus sit nesciam. In plurimis vero fragmentorum Myrsili, quae ab aliis scriptoribus servata ad nostram usque pervenerunt aetatem, de rebus historicis exponitur, praesertim talibus, quae ad antiquissima pertineant tempora.

Myrsili de Macaris illiusque familia narrationem, a Clemente Alexandrino memoriae proditam, supra attulimus. Negligenter Myrsilum seu Clementem inspexit Arnobius, qui in disputat. adv. gent. lib. IV. p. 136. edit. Stevv. Macaris filiae, Megacloni a scriptore Lesbio appellatae, Megalconis nomen indit et Musas, quas ab hac virgine emtas arteque canendi et citharizandi institutas tradiderat Myrsilus, filias Macaris fuisse dicit. De coloniis Aeoliis in opere suo egisse Myrsilum, evincit illius narratio de Enalo ob amorem virginis cuiusdam in mare se deiiciente a delphinoque ad terram delato, quae fabula legitur apud Plutarchum de solertia animalium, c. 36. Primum Lesbiacorum librum laudat Apollonii Rhodii scholiastes ad Argonaut. lib. I, v. 615, quo teste Myrsilus loco illo a reliquis scriptoribus dissentiens retulit, Medeam, cum Argonautae a Colchide redeüntes Lemni litus legerent, prae zelotypia odioque mulierum Lemniarum venenum in insulam coniecisse, quo teterrimus feminis illis iniectus sit odor. Ceteri Venerem iratam Lemniadibus foetorem illum immisisse tradiderunt. Myrsili narrationem apud Antigonum Carystium [7]) quoque (c. CXXX.) reperies, quem ex primo Lesbiacorum libro etiam ea hausisse opinor, quae c. CXXIX. de Locris Ozolis affert. Nonnulla de Tyrrhenis ex Myrsilo retulit Dionysius Halicarnasseus Antiq. Rom. Lib. I, c. 23 et 28. iisdem fere, quibus scriptor ille verbis usus. Quam variae cum ab antiquis tum a recentibus de Tyrrhenorum gente sententiae prolatae sint nemo ignorat. Myrsilus ita statuit, Tyrrhenos ex Italia in Atticam devenisse ibique Πελασγικὸν exstruxisse. Eadem fere Niebuhrii sententia est. Nos, ut supra significavimus, Müllerum sequimur, qui Strabonis narrationi calculo adiecto Tyrrhenos pro gente Graeca habet eosque e Boeotia in Atticam profectos esse arbitratur.

---

7) Cf. Suidas s. v. Δήμνιον.

Ceterum satis superque apparet, quae res permoverit Myrsilum, ut illam de Tyrrhenis narrationem Lesbiacis suis insereret. Lesbum nempe a gente illa quondam cultam esse constat neque nos supra rem illam silentio praetervecti sumus. Quae cum ita sint, valde miror Creuzeri verba, qui ad Hist. Gr. fragmenta p. 145. *Sed de harum rerum scriptoribus*, inquit, *ut de Myrsilo Lesbio, cuius spurium ferebatur opus de rebus Tyrrhenorum, alio tempore.* Si haud liquido appareret, utrum ex Lesbiacis Myrsili narratio de Tyrrhenis hausta sit, an non, tamen mirarer ea, quae de spurio Myrsili opere dicit Creuzerus, cum idem vir doctus l. l. p. 142. ita scribat: *Multo vero minus silendum erat iudicium Dionysii Halicarnassensis, qui illud opus pro genuino habet, quod eo gravius debet existimari, quo minus ille libris spuriis sibi imponi passus est.* Restat, ut memorem quod ex Myrsilo tradit Strabo, Assum urbem a Methymnaeis esse conditam fragmentumque afferam a Sylburgio scriptori Lesbio redonatum: *Μυρσίλος δὲ τὰς ἐν Λέσβῳ γενομένας παρθένους Μούσας ἐπὶ τὰ πένθη φοιτᾷν καὶ θρηνεῖν.* [8])

Hermeas Methymnaeus rerum quae inde ab antiquis temporibus usque ad primum annum Olympiadis centesimae primae in Sicilia gestae sunt condidit historiam, aliis in decem, aliis in duodecim libros divisam, quorum tertium laudat Athenaeus X, p. 438. C. *Ἑρμείας ὁ Μηθυμναῖος ἐν τρίτῃ Σικελικῶν φιλοπότην φησὶ γενέσθαι Νικοτέλη τὸν Κορίνθιον.* Ex eodem Athenaeo [9]) Hermeam opus de Apolline Gryneo, duobus certe libris constans, edidisse cognoscimus. Hermeae *περιήγησιν* laudat Stephanus Byzantinus. [10])

Hera-

---

[8]) Etymolog. Magn. s. v. *μέλος*. p. 577.

[9]) Lib. IV, p. 149. C.

[10]) S. v. *Χαλκίς*.

Heraclitus Macedonicam conscripsit historiam, teste Diogene Laertio.

Chares Mytilenaeus de rebus ab Alexandro magno gestis decem certe libris exposuit. Arrianus in regis Macedonici historia componenda scriptoris huius opere haud usus esse videtur; saepissime ad illud provocant Athenaeus et Plutarchus. [11]) Charetem non solum regis facta memoriae prodidisse, sed etiam terras, quas peragravit et expugnavit Alexander, accurate descripsisse et quaecunque illae cognitu memorabile haberent verbis persecutum esse, testis est Athenaeus, apud quem plura scriptoris Mytilenaei exstant fragmenta. [12]) E tertio historiarum Charetis libro refert ille, [13]) Ptolemaeum Soterem edeatri cepisse provinciam h. e. epulis regiis praefectum esse. E quinto libro narrationem de regum Persicorum divitiis et luxurie deprompsit Athenaeus; [14]) e septimo animalis cuiusdam margaritiferi, ad ostreorum genus referendi, descriptionem. [15]) Magnum e decimo libro apud Athenaeum [16]) reperies locum, ubi de ratione, qua post devictum Darium suas amicorumque nuptias Susis celebravit Alexander, copiose exponit Chares. Ex eodem libro elegantem narrationem de Zariadris et Odatis amoribus hausit Athenaeus, [17]) qui praeterea in multis rebus tradendis ad Charetis opus provocat, librum unde illas sumpserit non indicans. Lib. I. nempe, p. 27. D. ex eo habet, deum coluisse Indos

---

11) Vit. Alex. M. c. 20. 24. vit. Phoc. c. 17. de fort. Alex. II. p. 341. Cf. Aul. Gell. Noct. Att. V, 2.

12) Cf. Sanctocrucius de scriptoribus rerum Alexandri M. p. 39 sq.

13) Lib. IV, p. 171. C.

14) Lib. XII, p. 514. E.

15) Lib. III, p. 93. C.

16) Lib. XII, p. 538. B. sqq.

17) Lib. XIII, p. 575. A. sqq.

cui nomen fuerit *Σαργάδειος*. Lib, III, p. 124. C. scriptorem Lesbium secutus edocet nos, quamnam rationem ad nivem servandam ceperit Alexander. Lib. VII, p. 277. A. Charetem referre ait, Alexandrum multis pomis in Babyloniorum terra inventis iucundissimum praebuisse spectaculum *μηλομαχίᾳ* in classe instituenda. Lib. X, p. 434. D. regis Macedonici apophthegma posuit et 437. A. citavit locum, quo Galani philosophi Indici parentalia describuntur. Afferre libet mihi verba Graeca: *Χάρης ὁ Μιτυληναῖος ἐν ταῖς περὶ Ἀλέξανδρον ἱστορίαις περὶ Καλάνου εἰπὼν, τοῦ Ἰνδοῦ φιλοσόφου, ὅτι ῥίψας ἑαυτὸν εἰς πυρὰν νενημένην ἀπέθανε, φησὶν ὅτι καὶ ἐπὶ τῷ μνήματι αὐτοῦ διέθηκεν Ἀλέξανδρος γυμνικὸν ἀγῶνα καὶ μουσικὸν ἐγκωμίων. „Ἔθηκε δὲ, φησὶ, καὶ διὰ τὴν φιλοινίαν τῶν Ἰνδῶν καὶ ἀκρατοποσίας ἀγῶνα. Καὶ ἦν ἆθλον τῷ μὲν πρώτῳ τάλαντον, τῷ δὲ δευτέρῳ τριάκοντα μναῖ καὶ τῷ τρίτῳ δέκα. τῶν οὖν πιόντων τὸν οἶνον παραχρῆμα μὲν ἐτελεύτησαν ὑπὸ τοῦ ψύχους τριάκοντα καὶ πέντε· μικρὸν δὲ διαλιπόντες, ἐν ταῖς σκηναῖς ἕξ· ὁ δὲ πλεῖστον πιὼν καὶ νικήσας, ἔπιε μὲν ἀκράτου χόας τέσσαρας καὶ τὸ τάλαντον ἔλαβεν· ἐβίωσε δὲ ἡμέρας τέσσαρας· ἐκαλεῖτο δὲ Πρόμαχος.*" Conferendus Plutarchus in vita Alex. c. LXX. qui *Ὁ δὲ Ἀλέξανδρος*, inquit, *ἀπὸ τῆς πυρᾶς γενόμενος, καὶ συναγαγὼν πολλοὺς τῶν φίλων καὶ τῶν ἡγεμόνων ἐπὶ δεῖπνον, ἀγῶνα προὔθηκε καὶ στέφανον ἀκρατοποσίας. ὁ μὲν οὖν πλεῖστον πιὼν Πρόμαχος, ἄχρι χοῶν τεσσάρων προῆλθε· καὶ λαβὼν νικητήριον στέφανον τάλαντον ἡμέρας τρεῖς ἐπέζησε. τῶν δὲ ἄλλων, ὥς Χάρης φησὶν, τετταράκοντα καὶ εἷς ἀπέθανον πίνοντες, ἰσχυροῦ τῇ μέθῃ κρύους ἐπιγενομένου.* Coray rescripsit in hoc loco: *τὸ νικητήριον, στέφανον ταλάντου.* Aut hoc verum, aut *τὸν νικητήριον στέφανον, τάλαντον.* Reiskii coniecturam *τὸ νικητήριον, στέφανον τ΄ ταλάντων*, *praemium victoriae, coronam nempe auream tercentorum talantorum* falsissimam esse ex Athenaeo satis apparet. Apud Plutarchum l. l. c. XLVI. haec leguntur: *Ἐνταῦθα δὲ πρὸς αὐτὸν ἀφικέσθαι τὴν Ἀμαζόνα*

οἱ πολλοὶ λέγουσιν ὧν καὶ Κλείταρχός ἐστι καὶ Πολύκριτος· — Ἀριστόβουλος δὲ καὶ Χάρης ὁ εἰσαγγελεὺς — καὶ Φίλιππος ὁ εἰσαγγελεὺς — πλάσμα φασὶ γεγονέναι τοῦτο· Pro εἰσαγγελεὺς, Θεαγγελεὺς legendum censuerunt Holstenius et Reinesius. Priore loco id fieri non posse apertum est, posteriore Θεαγγελεὺς reposuit Coray. Sine caussa, opinor. Εἰσαγγελεὺς apud Persas appellabatur is, cui demandata erat provincia, ut ad regem introduceret qui cum illo colloqui cuperent. Ministros tales regis Persici morem imitatus sibi adiunxit Alexander.[18]) Ceterum sermone dilucido et distincto, quantum ex fragmentis ab Athenaeo servatis intelligi licet, usus est hic scriptor.

Pervenio ad *Theophanem Mytilenaeum*[19]) Cn. Pompeio aequalem maximaque cum illo familiaritate coniunctum, qua de re apud Strabonem lib. XIII, p. 617. Cas. haec leguntur: Οὗτος δὲ καὶ πολιτικὸς ἀνὴρ ὑπῆρξε καὶ Πομπηΐῳ τῷ Μάγνῳ κατέστη φίλος μάλιστα διὰ τὴν ἀρετὴν αὐτὴν καὶ πάσας συγκατώρθωσεν αὐτῷ τὰς πράξεις· ἀφ᾽ ὧν τήν τε πατρίδα ἐκόσμησε, τὰ μὲν δι᾽ ἐκείνου, τὰ δὲ δι᾽ ἑαυτοῦ· καὶ ἑαυτὸν πάντων Ἑλλήνων ἐπιφανέστατον ἀνέδειξεν. Cum Strabone convenit I. Caesar, qui in tertio de bello civili libro, c. 18. Pompeium de maximis rebus cum Theophane communicasse scribit. In concione militum Theophanem civitate a Pompeio donatum tradunt Cicero[20]) et Valerius Maximus.[21]) Quantopere homini illi faverit Pompeius ex Plutarcho quoque et Velleio Paterculo apparet

---

[18]) Cf. Sanctocruc. de scriptoribus rerum Alexandri Magni p. 39.

[19]) Commentatio de Theophane a Sevinio scripta reperitur in Mem. Acad. Insc. T. XIV, p. 143 sqq. Cf. Viscont. Icon. Gr. T. I. p. 232 sqq.

[20]) Pro Arch. poet.

[21]) Lib. VIII, 14, 3.

in Theophanis gratiam illum Mytilenaeis libertatem restituisse narrantibus.[22]) Hanc ob caussam Mytilenaea civitas defuncto Theophani caelestes honores tribuit, qui Tacito (Annal. VI, 18.) teste posteris viri illius crimini dati sunt. Nummus Mytilenaeus Musei Theup. ant. numism. aeri incisus ap. Visc. tab. XXVII. n. 4. in adversa parte exhibet caput Theophanis nudum cum inscriptione ΘЄΟΦΑΝΗС ΘЄΟС ΜΥ., in aversa caput mulieris velatum cum litteris ΑΡΧЄΔΑΜ. pro quo alii legerunt ΑΡΧЄΔΑΟС. Cf. Viscont. Icon. Gr. I. p. 236. Mionnet. de Graecorum Romanorumque nummis Tom. III. p. 47. nr. 108. Nummus ei quem descripsimus similis servatur Viennae in Mus. Caes. Cf. Eckhel. Doctr. numm. Part. I. vol. 2. p. 504. Viscont. l. l. p. 235. In parte aversa imaginem uxoris Theophanis expressam esse vix dubitari potest, cum in tertio eiusmodi nummo, cuius l. l. p. 236. meminit Viscontus, perspicue appareant verba: ΑΡΧΕΔΑΜΙС ΘΕΑ. — — A Pompeio expeditionum plerarumque comes assumtus res ab illo gestas memoriae prodidit Theophanes cuius passim meminit Strabo, verbi caussa lib. XI. p. 493. *ἀπὸ δὲ τῆς αἰτίας ταύτης οἱ μὲν ὑπέλαβον, τὰς πηγὰς ἔχειν αὐτὸν (τὸν Τάναϊν) ἐν τοῖς Καυκασίοις ὄρεσι· πολὺν δ' ἐνεχθέντα ἐπὶ τὰς ἄρκτους εἶτα ἀνακτρέψαντα ἐκβάλλειν ἐς τὴν Μαιῶτιν· τούτοις ὁμοδοξεῖ καὶ Θεοφάνης ὁ Μιτυληναῖος* et pag. 530. *Μέγεθος δὲ τῆς χώρας (τῆς Ἀρμενίας) Θεοφάνης ἀποδίδωσιν, εὖρος μὲν σχοίνων ἑκατὸν, μῆκος δὲ διπλάσιον; τιθεὶς τὴν σχοῖνον τετταράκοντα σταδίων· πρὸς ὑπερβολὴν δ' εἴρηκεν· ἐγγυτέρω δ' ἐστὶ τῆς ἀληθείας, μῆκος μὲν θέσθαι τὸ ὑπ' ἐκείνου λεχθὲν, εὖρος δὲ τὸ ἥμισυ ἢ μικρῷ πλεῖον.* Cf. Strab. lib. XIII, p. 555. Laudibus, quibus Strabo in loco supra citato ornat Theophanem, parum conveniunt ea, quae de homine illo tradit Plutarchus. Eo teste[23]) in historiis suis scripserat Theophanes,

[23]) Plut. vit. Pomp. cap. XXXVII.

in arce quadam Mithridatis a Pompeio capta inventas esse litteras Rutilii, quibus hic suaserit regi, ut cives Romanos in Asia commorantes occideret. Quod cum a moribus Rutilii maxime alienum esset, plerique, ut ait Plutarchus, in ea fuerunt sententia, prae malignitate illud dixisse Theophanem odioque Rutilii, qui Cn. Pompeii patrem improbissimum perhibuerat. Idem Plutarchus postquam de Ptolemaeo ab Aegyptiis patria expulso et Romam ad auxilium Romanorum implorandum profecto commemoravit, ab aliis narrari ait, Theophanem Ptolemaeum ad Aegyptum relinquendam impulisse, ut Pompeio novae expeditionis ansam praeberet, hisce verbis additis: ἀλλὰ τοῦτο μὲν οὐχ οὕτως ἡ Θεοφάνους μοχθηρία πεποίηκε πιθανὸν, ὡς ἄπιστον ἡ Πομπηΐου φύσις, οὐκ ἔχουσα κακόηθες, οὐδ' ἀνελεύθερον οὕτω τὸ φιλότιμον. De Theophane illiusque cum Pompeio familiaritate passim loquitur Cicero. Sic ille scribit ad Atticum lib. V, 11. *Pompeius mihi quoque videbatur, quod scribis Varronem dicere, in Hispaniam certe iturus; id ego minime probabam; qui quidem Theophani facile persuasi, nihil esse melius, quam nusquam illum discedere. Ergo Graecus incumbet; valet autem eius auctoritas apud illum plurimum.* Idem lib. II. ep. 17. *Velim e Theophane expiscere, quonam in me animo sit Alabarches* (Pompeius). Lib. XV, 19. haec habet: *Theophanes quid velit nescio; scripserat enim ad me; cui rescripsi, ut potui; mihi autem scribit, venire ad me se velle, ut et de suis rebus et quaedam, quae ad me pertineant; tuas litteras exspecto; vide quaeso, ne quid temere fiat.* In pugna Pharsalica Plutarcho teste praefectus fabrum fuit Theophanes,[24]) et post proelium persuasit Pompeio, ut reiectis reliquorum amicorum consiliis in Aegyptum fugeret.[25])

---

24) Plut. Cic. p. 648.

25) Plut. Pomp. 76. De posteris Theophanis vide interpp.

Ab historicis ad Philosophos delatus primum nonnulla dicam de *Pittaco*, cum quo loco aptius eum commemorem non habeam, licet si rem ad vivum reseces perfectus philosophus tibi non perhibendus sit. Quantopere ille bellator et legislator de patria sua meruerit supra enarravimus, quapropter ea, quorum ibi mentio fieri non potuit, hic afferemus. Pittacus, Caico, vel ut alii prodiderunt, Hyrrhadio Thrace Olymp. XXXII. natus, propter insignem sapientiam, cuius testes habemus sententias praeclaras a Diogene Laertio servatas,[26]) inter septem Graeciae sapientes receptus est. Neque a poesi illum alienum fuisse, ex Suida et Diogene apparet, qui sexcentos versus elegiacos ei factos tribuunt. Quin scolium ab eo compositum apud posteriorem legitur scriptorem. Porro de legibus sermone pedestri exposuisse narratur Pittacus. Quas res si consideres simulque ea spectes, quae Vol. II. p. 552. scribit Diodorus: Ὁ Πιττακὸς βαθὺς ἦν καὶ ἥμερος καὶ τὴν παραίτησιν ἔχων αὐτὸς ἐν αὑτῷ· διὸ δὴ πᾶσιν ἐδόκει τέλειος ἀνὴρ εἶναι πρὸς πᾶσαν ἀρετὴν ὁμολογουμένως. κατὰ μὲν γὰρ τὴν νομοθεσίαν ἐφαίνετο πολιτικὸς καὶ φρόνιμος, κατὰ δὲ τὴν πίστιν δίκαιος, κατὰ δὲ τὴν ἐν τοῖς ὅπλοις ὑπεροχὴν ἀνδρεῖος, κατὰ δὲ τὴν πρὸς τὸ κέρδος μεγαλοψυχίαν ἀφιλάργυρος — si haec omnia inquam expendas, nullus opinor dubitabis Pittacum maximi facere eumque qui cum Solone comparetur dignissimum praedicare.

A Pittaco statim ad Aristotelis tempora nobis transgrediendum est, cuius sectam permulti e Lesbiis secuti sunt. Primus nobis obiicitur *Theophrastus*, auditorum Aristotelis princeps, cui Tyrtamo antea appel-

---

ad Vell. Pat. II, 18. Ryck. ad Tacit. Annal. VI, 18. Tzsch. ad Strab. XIII., p. 617. D. Viscont. Icon. Gr. I. 232 sqq. —

[26]) Inter quas eminet dictum illud χαλεπὸν ἐσθλὸν ἔμμεναι, de quo disputatur in Platonis Protagora p. 567. sqq. edit. Heindorf.

lato *Θεοφράστου* nomen indidit summus magister, τὸ τῆς φράσεως αὐτοῦ ζῆλον ἐπισημαινόμενος, ut ait Strabo.[27]) Plura de eo proferre, cum notissimus sit, supersedeo: statimque ad *Phaniam* me converto, Theophrasti familiarem,[28]) de quo Suidas: Φανίας, ἢ Φαινίας, Ἐρέσιος, φιλόσοφος περιπατητικὸς, Ἀριστοτέλους μαθητής· ἦν δὲ ἐπὶ τῆς ρια' Ὀλυμπιάδος καὶ μετέπειτα, ἐπὶ Ἀλεξάνδρου τοῦ Μακεδόνος. Utraque nominis illius scriptura Suidae commemorata apud Athenaeum, qui Phaniam saepenumero laudat, promiscue occurrit. Apud Clementem Alexandrinum Strom. I. p. 398. Potter. Φαινίας reperitur. Eamdem scripturam ad Athen. I, 16. E. e codice affert Schweighäuserus. Quam multiplex Phaniae fuerit industria, libri quos ille scripsisse traditur manifestant. Operum eius memoratu dignissimum videtur illud, quod de plantis, περὶ φυτῶν, ab ipso compositum est et quod quinque certe continebatur libris, cum libri quinti in tribus locis mentio iniiciatur ab Athenaeo.[29]) Ex Phaniae libris περὶ ποιητῶν, quorum secundum l. VIII, p. 352. C. laudat Athenaeus, praeter lepidam de Philoxeno poeta et Dionysio tyranno narrationem[30]) sine dubio ea repetita sunt, quae leguntur apud Clement. Alex. l. l. Φαινίας δὲ πρὸ Τερπάνδρου τιθεὶς Λέσχην τὸν Λέσβιον Ἀρχιλόχου νεώτερον φέρει τὸν Τέρπανδρον. Librum Phaniae Τυράννων ἀναίρεσις ἐκ τιμωρίας inscriptum bis citat Athenaeus,[31]) quem ex philosophi opere de Sici-

---

[27]) Lib. XIII, p. 618. Steph. Byzant. s. v. Ἐρεσός. Suidas s. v. Θεόφραστος. Tzetzes Chiliad. IX, 296. Plin. in Praef. Quint. lib. X, 1.

[28]) Epistolam ad Phaniam a Theophrasto datam laudant Diog. Laert. V, 37. et Schol. ad Apollon. Rhod.

[29]) Athen. II, p. 70. D. III, p. 84. D. IX, p. 371. D. Cf. lib. I. p. 29. F. p. 31. F. II, p. 51. E. p. 54. F. p. 58. D. p. 61. F. p. 64. D. p. 68. D. IX. p. 406. C.

[30]) Athen. I. p. 6. E.

[31]) III. p. 90. E. X. p. 438. C.

liae tyrannis, lib. VI, p. 233. commemorato, ea quoque hausisse opinor, quae profert lib. VI, p. 231. E. καὶ τὰ ἐν Δελφοῖς δὲ ἀναθήματα τὰ ἀργυρᾶ καὶ τὰ χρυσᾶ ὑπὸ πρώτου Γύγου τοῦ Λυδῶν βασιλέως ἀνετέθη· καὶ πρὸ τῆς τούτου βασιλείας ἀνάργυρος, ἔτι δὲ ἄχρυσος ἦν ὁ Πύθιος· ὡς Φανίας τέ φησιν ὁ Ἐρέσιος καὶ Θεόπομπος ἐν τῇ τεσσαρακοστῇ τῶν Φιλιππικῶν. ἱστοροῦσι γὰρ οὗτοι, κοσμηθῆναι τὸ Πυθικὸν ἱερὸν ὑπό τε τοῦ Γύγου, καὶ τοῦ μετὰ τοῦτον Κροίσου. μεθ' οὓς ὑπό τε Γέλωνος καὶ Ἱέρωνος τῶν Σικελιωτῶν· τοῦ μὲν τρίποδα καὶ Νίκην χρυσοῦ πεποιημένα ἀναθέντος, καθ' οὓς χρόνους Ξέρξης ἐπεστράτευε τῇ Ἑλλάδι, τοῦ δὲ Ἱέρωνος τὰ ὅμοια. Porro Phaniam libros contra Sophistas scriptos edidisse [32]) deque Prytanibus Eresiis exposuisse Athenaeus [33]) confirmat. Apud Diogenem Laertium in Antisthene leguntur haec: Φανίας ἐν τῷ περὶ τῶν Σωκρατικῶν ex quo libro procul dubio hausta sunt, quae in Aristipp. II, 65. e Phania tradit Diogenes, Aristippum Cyrenaicum primum Socraticorum institutionis mercedem exegisse. Idem Diogenes lib. VII, 41. laudat Phaniam, Posidonii auditorem, ἐν τῷ πρώτῳ τῶν Ποσειδωνείων σχολῶν, quem cum nostro a G. I. Vossio confusum esse monuerunt Ionsius et Menagius. Historiam Phaniae Eresii de Hipparino affert Parthenius Erot. c. VII. et bis ad illum provocat Antigonus Carystius in historiarum mirabilium collectaneis. Nimirum cap. CLXXXVII. Phaniam perhibere ait, in quibusdam Lesbi locis et apud Neandriam glebas inveniri ad oculorum sanationem utiles et aquae innatantes; centesimo septuagesimo primo autem capite ex eo scriptore habet, τὴν τῶν Πυράκων (Πυῤῥαίων) λίμνην ὅταν ἀναξηρανθῇ κάεσθαι.

Ad Theophrasti, Phaniaeque aetatem referendus *Echecratides* Methymnaeus, de quo praeter nomen ni-

---

[32]) Lib. XIV, p. 638. B.

[33]) Lib. VIII. p. 333. A. ubi citatur ὁ δεύτερος Πρυτάνεων Ἐρεσίων.

hil mihi innotuit.[34]) Post hunc nuncupo *Cratippum* Mytilenaeum a Cicerone principem eius aetatis Peripateticorum habitum, *Aristotelem* Mytilenaeum tempore Galeni in speculatione peripatetica primatum tenentem, nec non *Praxiphanem* atque *Premigenem* Mytilenaeos.[35])

Lesbonax Mytilenaeus, qui imperante Octaviano vitam degit, πλεῖστα φιλόσοφα scripsisse traditur a Suida. De eo apud Lucianum de saltat. 69. haec leguntur: *Λεσβώναξ ὁ Μιτυληναῖος, ἀνὴρ καλὸς καὶ ἀγαθὸς χειρισόφους τοὺς ὀρχηστὰς ἀπεκάλει καὶ ᾔει ἐπὶ τὴν θέαν αὐτῶν ὡς βελτίων ἀναστρέψων ἀπὸ τοῦ θεάτρου*, ad quem locum scholiastes ita scribit: *Τοῦτον λέγει Λεσβώνακτα, οὗ καὶ ἄλλαι μελέται ῥητορικαὶ φέρονται θαυμάσιαι καὶ ἐνάμιλλοι Νικοστράτου καὶ Φιλοστράτου τῶν ἐν τοῖς ἰ νεωτέροις σοφισταῖς διαπρεπόντων, μάλιστα δὲ αἱ ἐρωτικαὶ ἐπιστολαὶ πολλὴν τὴν ἐκ τοῦ λόγου ἀποστάζουσαι ἡδονήν.* Confudisse videtur grammaticus Lesbonactem Mytilenaeum cum illo, cuius orationes XVI politicas legisse se testatur Photius, e quibus tres hodie supersunt. Exstat nummus in Lesbonactis honorem a Mytilenaeis cusus, cum inscriptione *ΛΕCΒΩΝΑΞ ΗΡΟC* (sic) *ΝΕΟC.* Vide Mionnet III, p. 48. nr. 116. Commemorat nummum illum a Gallo quodam in dissertatione Parisiis ann. MDCCXLIV impressa editum etiam Viscontus in Icon. Gr. Tom. III. p. 319. Is tamen in eo inscriptum esse dicit *ΗΡΩΣ ΝΕΟΣ ΛΕΣΒΩΝΑΞ* quae verba mire interpretatur: *heros novus Lesbi patronus.* Caput nummo insculptum Antinoi ab Hadriano dilecti esse putat creditque nomen *ΛΕΣΒΩΝΑΞ* Bacchi fuisse epitheton, quod ad dei illius cultum respicientes Antinoo indiderint Mytilenaei.

Lesbonacti succedat filius *Potamo.* Coniuncta patris filiique nomina praebet inscriptio sellae marmo-

[34]) Steph. Byzant. s. v. *Μηθύμνη.*

[35]) Vide Fabric. Bib. Gr. T. III, p. 471. 482. 563

reae, quae in Lesbo e terra effossa est. Insculpta nempe ei sunt verba haec:

ΠΟΤΑΜΩΝΟΣ
ΤΩ ΛΕΣΒΩΝΑΚΤΟΣ
ΠΡΟΕΔΡΙΑ[36])

Ceterum Potamo, ut sub h. v. refert Suidas, regnante Tiberio.[37]) sophisticen Romae exercuit, magnoque Caesaris favore gavisus est, qui eum iter in patriam facturum talibus litteris viatici loco instruxisse narratur: Ποτάμωνα τὸν Λεσβώνακτος εἴ τις ἀδικεῖν τολμήσοι σκεψάσθω, εἰ μοι δυνήσεται πολεμεῖν. Teste Suida Potamo de Alexandro Macedone, de finibus Samiorum[38]) et de perfecto rhetore exposuit nec non Brutum atque Tiberium encomiis celebravit.

Diophanes rhetor Mytilenaeus Romae versatus est et Graochorum utebatur amicitia, quae tandem perniciosa ipsi exstitit, ut in Tiberii Gracchi vita tradit Plutarchus.[39]) — *Aeschinem* Mytilenaeum, quem ῥητορομάστιγα appellabant, lib. II, c. 64. commemorat Diogenes Laertius. — *Callias* Mytilenaeus Alcaei Sapphonisque carmina commentariis illustravit Athenaeo (III, p. 85. E.) et Strabone (XIII, p. 618.) testibus. — *Scamonis* Mytilenaei libri περὶ εὑρημάτων laudat Athenaeus lib. XIV, p. 630. B. et 637. B. — *Adaeum* de statuariis et περὶ διαθέσεως scripsisse tradit Athenaeus.

---

36) Vide Pocock. Descript. Orient. T. III, p. 15. Sestini Viaggi p. 98. Walpol. Mem. p. 309. sq. Choiseul-Gouffier Voy. Pitt. T. II. p. 85. collat. tab. VIII. fig. 1. Villois. Mem. Acad. inscript. T. XLVII. Berkel. ad Steph. Byzant. s. v. ἕδρα.

37) Strab. lib. XIII, p. 617.

38) Ἔγραψε — ὅρους Σαμίων. Vide Schweigh. in notis ad Athen. Tom. II. p. 645. et Creuzer. ad hist. Graec. fragm. p. 122. sqq.

39) Cf. Strab. l. l.

Typis Ioannis Friderici Starckii.

Corrigenda.

P. 19. lin. 5 pro aegri legendum agri.
— 80 — 22 — Antenorum leg. Antenorem.
— 150 — 26 — *Terpandrr* leg. *Terpander*.
— 160 — 5 — dubitari leg. dubitare.
— — — 34 — quae leg. qui.
— 164 — ult. — disquitio leg. disquisitio.
— 172 — 9 — τύραννων leg. τυράννων.